



INDEX DISPUTATIONUM
Theologicarum

sub Praesidio Leonis Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitate

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate Filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sac-
ramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
diffinitionem scriptis polysemam
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem.

7 De unione hypostatica du-
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et eorum de
Idiomatu in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis.

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo.

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
De Ministeriorum Ecclē-
stiae vocatione.

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 1.

15 De sacramento ingere-
re. 13 a. c. 4.

16 De Baptyismo, c. 1.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et
Confessione. 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclē-
stica. 16 c. 1.

21 De extremo judicio

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus
ille Dei qui tollit peccata
mundi

26 De verbo Dei
scripto seu scriptura
in sacra.

27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42



27 De Deo uno et trino 2
 28 De unione hypostatica
 Quorum in Christo natura
 29 De communicatione di
 gnatum 4
 30 De Providentia Dei 5
 31 De libero arbitrio 6
 32 De imagine Dei in primo
 homine, et subsequuta
 corruptione seu peccato
 originis
 33 De Lege et Evangelio 8
 34 De Universalis redempti
 onis finis generis humani 9
 35 De justificatione hominis
 peccatoris coram Deo: et
 de bonis operibus 10
 36 An reus et electi possint ex
 cere gratia Dei; et in quibus
 lapsis ad eam pateat reditus
 et de penitentia 12
 37 De Ecclesia 13
 38 De sacramentis in gene
 14
 39 De coena Domini 15
 40 Summa abominationis In
 fanticiae in negotio peder
 istica. Controv. 1. de
 transubstantiatione 2 De
 sacrificio Missatico 3
 De communione sub una
 specie 7
 41 De libertate Christiana
 et de avia pboris. 18
 42 De Antichristo magno 19

43 De indulgentiis Papali
 bus et igni purgatorio 20
 44 De discriminatione veteris et
 novi testamenti
 45 De Consumatione seculi:
 adventu Christi iudicis
 resurrectione mortuorum, et
 iudicio extremo.
 46 De Sacra Coena controversias
 quae hodie in Ecclesia de ea aguntur
 complectens. Praef. 2. Debelij
 47 De Arrogatione exorcismi
 in baptismo. Praef. D. Geor
 gii Myllii
 48 Harmonia Calviniana Ph
 tiniana. Praef. P. Jos. Gerbani
 49 Harmonia Calviniana Ph
 tiniana Pr. D. Jos. Gerbani
 50 Harmonia Calviniana Ph
 tiniana Praef. Jos. Gerbani
 51 Harmonia Calviniana Ph
 tiniana Dis. 7. Pr. D. Jos. Gerbani
 52 De Pace inter Christianos
 et Turcas tentata; et
 de bello pontificio. Com
 Nat. Dreseri.
 53 Jos. Henr. Alstedii consilia
 in Academia et Schola
 Laetici. Nebroni
 dum studium.
 54 Typus Calendarij Catholici
 Philodoci. Insuper
 quod studiosi Aovitibus
 Typographum proponunt
 studium biennio.
 55 L. Laetantii lib. de
 sacrificio Dei vel forma
 bone hominis. Ad demer
 tu audire sua.
 FINIS

DISPUTATIO THEOLOGICA
PRÆCIPUAS
DE SACRA COENA
CONTROVERSIAS, QUÆ
hodie in Ecclesia de eâ agitantur, com-
plectens,

Q u a m

*Divinâ Spiritus Sancti gratiâ
adjuvante,*

Reverendo & Ampliſſ. Collegio Theologico
in Illuſtri SALANA decernente,

Sub Preſidio

Viri Reverendi & Clariffimi

DN. JOHANNIS DEBELII
SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Publici,
Præceptoris ſui ſummâ animi obſervantiâ
honorandi

Pro conſequendo ſummo in Theologia GRADU

Publicè 15. Auguſti, in Auditorio majori horis anteme-
rid. & pomerid. diſcutiendam proponit

M. JOHANNES GERHARDI QUEDL.
designatus Superintendens Heldburgenſis.

JENÆ, TYPIS LIPPOLDIANIS, 1606.

ILLUSTRISSIMO AC CELSIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. JOHANN-CASIMIRO
DUCI SAXONIAE, LANDGRAVIO THURINGIAE,
Marchioni Misniae &c.

Domino suo Clementissimo.



ILLUSTRISIME PRINCEPS,
Domine Clementissime, quando David
pietatis & sapientia laude nulli Prophetarum
vel Regum secundus, portas jubet at-
tollere capita, sive superiora limina, ut in-
troeat Rex gloria, Psal. 24. v. 7. & 9. du-
bium nullum, quin omnes illos, qui clavum imperij tenent,
admonitos velit, ut Christo, ipsiusq; Evangelio suis in ditio-
nibus hospitium atque halcyonia preparare curent, id quod
alibi etiam verbis admodum emphaticis exprimit, quando
eos admonet, ut Filium osculentur, Psal. 2. v. 12. Apud Esai-
am Prophetam Reges vocantur Ecclesiae nutritij, & Reginae
nutrices, cap. 49. v. 23. quâ dulcissimâ appellatione Ecclesiae
omni humano praesidio ut plurimum destituta cura atq; clien-
tela illis veluti tutoribus ipsius Dei voce commendatur. Ab-
esse igitur à nobis debet quàm longissimè profana illorum sen-
tentia, qui Magistratui & quidem Christiano unicum illum
atque ultimum finem debere esse propositum existimant, ut
subditis externa felicitas atq; tranquillitas procuretur: quo-
rum vocem non aliter aestimare debemus, quàm si Magistra-
tum bubulcum quendam atq; opilionem appellarent. Quem-
admodum enim armentorum atq; ovium praefectus suo satis
perfunctus officio, si de commodis & salubribus pascuis illis
prospiciat, etiamsi catervatim postea ad lanienam abducantur,
ita ejusmodi homines, Magistratum officij sui partes per-
egisse

egisse omnes, existimant, si de corporum cura atq; tutela subditis rectè caveat, etiamsi animæ eorum misere langueant, & in languore isto eternum pereant. At non ita statuebant pijs Reges in populo Israëlitico, David, Josias, Ezechias, alij: quin potius Ecclesiæ curam ad se spectare credebant quàm rectissime, quippe cujus membra erant facile precipua. Constantinus Magnus laudibus ob id deprecatus maximis, quòd edicto publico templa Idolis Ethnicorum consecrata occluserit, Christianis de libertate religionis caverit, stipendia pijs doctoribus constituerit, & propter hæresin Arianã Concilium Nicænum convocaverit. Theodosium hoc nomine commendat Ambrosius, quòd morti vicinus potiore Ecclesiæ, quàm Imperij curam egerit. Iustiniani vox memoratù digna extat Nov. 3. Non minor nobis cura est horum, quæ sanctissimis Ecclesijs profunt, quàm ipsius animæ. Carolus Magnus confecto bello difficili & diuturno, quo Saxones ad Christi agnitionem cultumq; traduxerat, Episcopatus complures apud illos instituit. Quid superiori seculo incluti Saxonie Duces longâ serie in conservanda, defendenda & propaganda Evangelij doctrina pristino nitore per ministerium D. Lutheri restituta præstiterint, in aperto est omnibus, & ipsorum adversariorum testimonijs comprobatum: quin etiam in pio isto & Christianis Principibus digno instituto adhuc hodie perseverant strenui, adeò ut religionis vera conservatio domui Saxonice singulari Dei beneficio quasi hereditaria facta videatur. Ab istorum laudatissimorũ Ecclesiæ nutritorum consortio atq; numero qui C. T. Illustrissime Domine, excludere vellet, nã invitâ admodum veritate id conaretur. Extant publicè documenta quàm plurima, quæ hac quidem vice latere patior, id unum animi in Ecclesias & Scholas (quæ seminaria sunt Ecclesiæ) plusquàm benefici indicium certissimum.

*num, omnibus etiam posteris admirandum, quod C. T. non
ita pridem Illustre Gymnasium Casimirianum Coburgi sum-
tibus longè maximis exstruxerit, ornaverit, dotaverit: qui
C. T. affectus vel solus me impellere poterat, ut publicum a-
liquod observantissimæ erga eam subjectionis meæ ederem te-
stimonium: accessit aliud, quod Disputationis hujus inaugu-
ralis dedicationem jure quodam C. V. vindicavit, nimirum
quod Illustrissimâ T. Clementiâ non solum jubente, sed &
sumtus munificentia planè magnificâ suppeditante agitur,
quicquid hac in parte à me susceptum. Quare*

HER ÒE sangvis stemmatis incluti,
ILLUSTRE germen, florida SAXONUM
 QUORUTA faustè jam triumphat,
JAN-CASIMIRE decus dynastum,
HER ÒE vindex dogmatis enthei,
DICES tribunal, & PATRIÆ PATER,
 Chartaceum præsens serenâ
 Suscipe, quod fero, fronte munus.
Reciprocatis flumina flexibus
Sese in paternos Oceani sinus
 Promtè recondunt, orta ab uno
 Omnia deveniunt ad unum:
Autore solo TE meus hic honos
Incepit, in TE desinat hic honos
 Illustris Ò PRINCEPS: benignâ
 Suscipe, quod fero, mente munus.
Parvæ nec olim dona Calabriae
Romana sprevit magnificentia,
 Divis nec olim perlitare
 Farre fuit tenui negatum.

Humilis obsequii ergo mittit & submittit

M. JOHANNES GERHARDI QUIDLINE.



C A P. I.

Contra Transubstantiationem.

I.



REDIMUS, DOCEMUS ET CONFITEMUR in Sacramento Eucharistiæ veram & substantialem, non solum panis & vini, sed & corporis ac sanguinis CHRISTI præsentiam, exhibitionem, manducationem & bibitionem: quæ præsentia non est localis inclusio corporis in panem, sanguinis in vinum, neq; est impanatio, neq; incorporatio in panem, neq; consubstantiatio, neq; physica inexistencia, neq; delitescencia corpusculi sub pane, neq; quicquã hujusmodi carnale aut physicum, sed est præsentia sacramentalis, quæ ita comparata est, ut juxta ipsi⁹ Salvatoris nostri institutionem modo incomprehensibili pani benedicto tanquam medio divinitus instituto, corpus, & vino benedicto, tanquam medio itidem divinitus ordinato sanguis CHRISTI uniat, ut cum illo pane corpus & cum illo vino sanguinem CHRISTI in sublimi mysterio sumamus, manducemus & bibamus.

II. Nec sacramentalis illa corporis & sanguinis CHRISTI in Eucharistiã præsentia ipsam substantiam externorum symbolorum panis & vini tollit, sed fit sacramentalis unio panis & corporis, vini & sanguinis CHRISTI: ideoq; improbamus sententiam erroneam Pontificiorum, quã docent, post factã consecrationem panem & vinum suam Naturam & essentiam in substantiam corporis & sanguinis CHRISTI mutare, & eam conversionem (quam vocant Transubstantiationem) esse propriam rationem præsentia corporis & sanguinis DOMINI in Eucharistia; contra quem errorem his pugnamus argumentis.

III. ARGUM. I. Quodcunq; dogma nec secundum verba nec secundum rem in scriptura habetur, id pro articulo fidei acceptari nequit.

Dogma transubstantiationis nec secundum verba, nec secundum rem habetur in scriptura. E. pro articulo fidei acceptari nequit.

Major propositio nititur hypothese illã de scripturæ perfectione, quæ tùm à multis passim, tùm nostrã ætate in Colloquio Ratisbonensi à nostratibus evidenter est demonstratã, habet autem illius confirmatio suum

suum locum alibi. Minoris veritas patebit ex discussione eorum, quæ pro confirmanda illa tenerrima Romani Papæ filia, transsubstantiatione, ex scriptura adduci solent. Sanè ipsum nomen novum est, barbarum & peregrinum, usurpatum primò in Concilio Lateranensi Anno Domini 1215.

IV. Excipit Bellarm. 3. de sacram. Euchar. c. 23. stultum esse, cum de re constet, litigare de nomine: De re autem ita constare, ut non possit magis, & provocat ad sententiam Patrum, de qua postea plenius: Nos non de Patrum, sed de Scripturæ sententia potissimum jam sumus solliciti, ex scripturâ probationem Transsubstantiationis requirimus. At, inquit Bellarminus; licuit Concilio Nicæno in ipso Symbolo ponere nomen ὁμοῶσι, & Concilio Ephesino nomen θεῶν, majori ergo ratione licuit Concilio Lateranensi ponere nomen transsubstantiationis, cum in Lateranensi Concilio plures Episcopi & Patres fuerint, quàm in Nicæno aut Ephesino, cum nōq; ante Nicænum & Ephesinum Concilia pauca veterum testimonia extiterint de re ipsa, at ante Lateranense innumerabilia. &c. Est ratio longè dispar inter vocabula ὁμοῶσι, θεῶν & vocem Transsubstantiationis. Res prioribus vocabulis significata extant in scripturâ, ideoq; sunt in classe eorum, quæ juxta Nazianzenum, etiamsi non dicantur, tamen sunt in scriptura: transsubstantiatio autem est in eorum classe, quæ in scripturis neq; sunt neq; dicuntur. Neq; verò decretorum à Conciliis editorum veritas æstimanda est ex numero Episcoporum ac Patrum, sed ex conformitate cum scriptura. Rectè Hieron. super Epist. Galat. Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis est prodita, contra quam si quid Concilia statuunt, nefas duco. Pulcra ergò fuit forma veterum Conciliorum, in quorum medio, ut habet Cusanus 2. de concordantiis Cathol. cap. 6. ponebantur sacra Evangelia: & secundum testimonia scripturarum decrevit olim Synodus. Johannes Dalburgius quatuor Judices minimè suspectos dicebat Concilio cuius præficiendos: Biblia Hebræa, Græca, Latina & Germanica in paral. Ursperg. Porro si ad qualitates Episcoporum in Nicæno & Ephesino Conciliis congregatorum respicere velimus, eosdemq; conferre cum illis, qui in Lateranensi fuerunt congregati, immane quantum apparebit discrimen! Negari nullâ veritatis specie potest, Ecclesiæ statum tum temporis longè deteriorem fuisse, qua de re Bernhardi, Platinae & aliorum querelæ satis superq; testantur. In eodem Concil. Later. cap. 13. definitum est, ne postea nova aliqua religio, id est, novus aliquis ordo religiosorum institueretur, sed si quis vellet ad religionem converti, aliquam ex veteribus & approbatis eligeret & susciperet. Si decretum hoc Bellarminus approbat, damnet novum Jesuitarum ordinem, cui nomen dedit. Innocentius III. Concilii hujus autor Decretalium libros in Scholis doceri & in judiciis exerceri mandavit c. Venerabilem de elect. & elect.

elect. potest. quàm vero multi sint istorum errores, ex vulgato apparet
proverbio: actum fuisse de Ecclesiæ salute, cum Decretis accederent alæ.
Duaren. in præfat. libr. de sacr. Eccl. minist. Revocamus, ergò Bellar-
mino in memoriam, quæ rectè scripsit lib. 2. de Conc. author. c. 12. Cum
Nicænum Concilium definivit Christum esse ὁμοῦσιον Patri, deduxit
conclusionem ex scripturis; & jubemus, ut idem de Lateranensis Conci-
lii decreto probet: quid quod lib. 2. de CHRISTO c. 1. probat, nomen
ὁμοῦσιον non fuisse primò inventum in Concilio Nicæno? sed nomen
Transsubstantiationis non potest ostendi ante Concilium Lateranense.
V. Pergit Bellarminus, axjoma esse dicens falsissimum, quod univer-
sam fidem destruat, quòd nihil pro articulo fidei proponendum sit, quod
non ex manifestis scripturis probari possit; quia ex nulla scriptura sed ex
sola traditione probari potest, quod libri Evangelistarum & Epistolæ
Paulinæ sint divinæ scripturæ: Quod audax Bellarmini pronunciatum
verbis magis atrocibus & impiis repetit Pistorius, quando in hodeget:
cap. 2. p. 15. 16. scribit: Opinio eorum, qui nihil credere volunt, nisi
quod in DEI verbo extat, abducit paulatim ad abnegationem totius
scripturæ sacræ & efficit Turcicos & Epicuræos: Bellarmini ar-
gumentum alio loco explicandum erit, hac vice duo urgemus contra
Bellarminum, prius est, quod circularem probationem adhibere cogan-
tur, si ex Sola traditione cognosci asserunt, quæ scripturæ sint divinæ.
Quære enim à Pontificio: Quare credat has Epistolas Pauli esse scri-
pturas divinas? respondebit à Bellarmino edoctus, quia ex traditione id
constat: quære vicissim, quare credat traditioni? respondebit, quia est
Ecclesiæ traditio: quære ulterius, quare credat Ecclesiæ? afferet tibi di-
ctum Matth. 18. Dic Ecclesiæ. En circularem probationem! Posterius
est, quod hac ratione totum fidei suæ fundamentum in scrinio Pontificis
constituant. Omnes alii articuli nituntur hoc fundamento (dicit hoc
loco Bellarminus) quod hi libri Prophetarum & Evangelistarum & hæ
Epistolæ Apostolorum sint scripturæ divinæ, id verò ex sola traditione,
intellige Ecclesiæ, & ex nulla scriptura probari potest, ex quo theorema
lib. 2. de sacramentis cap. 25. deducit alterum, omnium dogmatum
firmitatem pendere ab autoritate præsentis Ecclesiæ. Si quæras, quid
per Ecclesiam intelligat, respondet lib. 3. de Verbo DEI cap. 3. esse Pon-
tificem cum Concilio: cum verò Concilium non semper haberi possit,
quin etiam Papæ interdum sit contrarium, ideò lib. 4. de Rom. Pontif.
c. 2. concludit, ipsa infallibilitas (in iudicio doctrinæ & fidei) non est in
cætu Consiliariorum vel in Consilio Episcoporum sed in solo Pontifice:
quin & ulterius eo in loco progreditur: Omnes Catholici, inquit, in hoc
conveniunt, Pontificem solum vel cum suo particulari Concilio aliquid
in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fide-
libus obedienter audiendum. Plura de hoc argumento Bellarmini in lo-
co de Scriptura dicenda sunt: remittimus interim nostros ad Colloqui-
um Ratisbonense.

VI. Ac-



VI. Accusat Bellarminus Chemnicium, quod malâ fide ex Andradio, Scoto, & Cameracensi probare voluerit, ipsos Pontificios agnoscere, quòd transubstantiatio destituatur Scripturæ fundamentis. Asscribemus ergò inferius ipsa horum Pontificiorum verba, quorum claritas Bellarminum ita perstrinxit, ut hoc loco scribat: Scotus dicit, non extare ullum locum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat transubstantiationem admittere, atq; id non est omninò improbable: nam etiamsi scriptura, quam (pro transubstantiatione) adduximus, videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum, tamen, an ita sit, meritò dubitari potest, cum homines doctissimi & acutissimi, qualis in primis Scotus fuit, contrarium sentiant: & paulò post: Dogma transubstantiationis ad fidem Catholicam pertinet, quia colligitur ex scriptura divina secundum explicationem communem Patrum & juxta declarationem Ecclesiæ in Conciliis generalibus. Respondemus breviter, sententiam Patrum & decreta Conciliorum non esse normam interpretationis Scripturæ, sed scripturam, quia perfecta est & perspicua, per seipsam & ex seipsa interpretandam esse. Concilia & Patres non inferunt lucem in scripturam, sed doctrinæ suæ lucem hauriunt ex scriptura, & suo loco ostendemus, de Patrum scriptis & Conciliorum decretis ex ipsa scriptura judicandum. Ergo scriptura est norma Patrum & Conciliorum, non contra.

VII Progredimur ad argum. II. Quòdcunq; dogma pugnat cum scriptura, pro articulo fidei haberi nequit. Dogma transubstantiationis pugnat cum scriptura: Nam Evangelistæ & Paulus expressè nominant panem in ipsa actione cænæ, & Apostolus etiam post consecrationem sive benedictionem: nemo verò ex illis vocat nudam speciem sive mera accidentia panis.

Excipit Bellarminus, vehementer obesse nostræ sententiæ si dicamus, pronomine Hoc, denotari panem: si enim dicatur, Panis est corpus Domini, id non posse aliter accipi, quàm quòd vel panis figuratè sit corpus Domini, vel panis mutatus sit corp⁹ Domini, & pronomen HOC, respicit panem, sed non solum, verùm totum complexum qua de re postea plenius: CHRISTUS non dicit, panis est corpus meum: sed, Hoc est corpus meum: interim tamen non improbamus illam propositionem, Panis est corpus Domini, si accedat vera expositio, Panis sacramentaliter est corpus Domini, id est, manducato benedicto pane in sacra cænâ, manducatur etiam corpus Domini, propter unionem sacramentalem, quæ soli DEO cognita & piè à nobis credenda, non curiosè investiganda est. Atq; hæc vera est & orthodoxa istius propositionis explicatio, neutra autem illarum, quas Bellarminus affert. Confirmat hanc nostram expositionem Apostolus, quando 1. Cor. 10. v. 16. scribit, panis, quem frangimus, est communicatio corporis Domini, nimirum in ipsa illius benedicti panis manducatione, sic enim CHRISTUS Matth. 26. v. 26. Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Nihil est communicatio sui
B ipsius

ipſius. Si ergo panis eſt corpus Chriſti per tranſubſtantiationem, non poteſt panis dici *κρνωνία* corporis CHRIS TI, niſi quis ſtatuerè velit *κρνωνία* notare tranſubſtantiationem. Ex quo loco evidenter reſellitur expoſitio Bellarmini, qui hoc loco ſic ſcribit: falſum eſt panem eſſe corpus Domini, niſi addas aut ſubintelligas mutatum: & breviter, num aqua mutata poteſt dici communicatio vini? nugæ. Cùm ergò Apoſtolus poſito ſubjecti loco, pane, nō dicat *ἀπλῶς* & ſimpliciter illum eſſe corpus Domini, ſed mutet prædicatnm & dicat, Panem eſſe *κρνωνία* corporis Domini, manifeſtè inde colligitur, in propoſitione CHRIS TI per pronomen Hoc non denotari ſolum panem.

VIII. Pergit Bellarminus, apud Paulum poſt conſecrationem retineri nomen panis, vel quia panis ſacramentalis eſt ex pane factus, vel quia figuram externam panis retinet, vel quia habet effectus & proprietates panis, vel quia more Hebraico omnis cibus vocatur panis. & non eſt in articulis fidei à litera ſcripturæ recedendum, niſi cogat analogia fidei, & niſi ipſa ſcriptura monſtret & explicet tropum, alias nulla remanebit doctrinæ Chriſtianæ certitudo, quia ut rectè ſcribit Bellarmin. 3. de Verbo DEI c. 3. ex ſolo ſenſu literali firma ducuntur argumenta, jam verò nullâ neceſſitate cogimur à literali ſenſu verborum Apoſtolicorum hoc loco recedere: præterea rationes hæ extra & præter ſcripturam afferuntur, ideoq; conſcientia in illis acquieſcere non poteſt, & quàm titubanti pede ipſimet Pontificii hîc incedant, patet ex ipſo Bellarmino, qui lib. i. de Euchar. c. ult. ſic ſcribit: reſpōdent nonnulli, Euchariftiam vocari panem per tropum, quia fit ex pane, ſive quia ante fuit panis & adferunt multa exempla ſcripturæ, ut quod Genef. 3. Eva dicatur os Adami, Exodi. 7. virgæ converſæ in Dracones adhuc vocentur virgæ, quod Matth. ii. dicantur cæci videre, claudi ambulare, quod Matth. 21. dicantur publicani præcedere Phariſæos in regnum cælorum: Sed hæc ſolutio NON VIDETUR SOLIDISSIMA, poſſent enim adverſarii dicere, non ideò, quia alicubi res denominatur ab eo, unde facta eſt, ubiq; ita accipienda eſſe vocabula: ſecundò igitur DICI POTEſT, ſcripturam vocare ordinariè res ut apparent exterius, ſic enim ſerpentem æneum vocat ſerpentem: tertio DICI POTEſT & MEO JUDICIO optimè, vocari panem phraſi Hebraicâ, quia nomine panis intelligitur generatim omnis cibus: & deniq; quarto vocari panem, quia non ſolum eſt cibus, ſed eſt cibus ſolidus, præcipuus, ſubſtantialis, qualis eſt panis triticeus inter cibos corporales. Hæcenus Bellarm. Lanfrancus diſputans, quare poſt conſecrationem appelletur panis, affert uſitata illa, vel quia ex pane conficitur, & accidentia panis retinet; vel quia animam ſatiet, agnoſcens autem illa infirma & incerta eſſe addit, vel alio aliquo modo qui à Doctōrib. comprehendere poteſt, à nobis non poteſt. Vides novos illos Diſputatores omnia pro arbitrio fingere & pingere, ut vim argu-

mento-

mentorum nostrorum effugiant. Deniq; rationes hæ non solum diver-
 sa sunt, sed etiam ita comparata, ut veræ simul esse non possint. Si vo-
 catur panis tropicè, ergo non propter facultatem nutritivam: Si vocatur
 panis, quia ex pane factus, Ergò non propter accidentia in præsentia &c.
 IX. Vidimus rationes hæc conjunctas, breviter percurramus singu-
 las. Prima ratio erat, vocari panem adhuc post consecrationem, quia
 est ex pane factus: At I. de sacr. Euch. c. 14. ipsemet Bellarm. hanc ratio-
 nem fatetur non esse solidissimam, addimus nos, esse nullam, propter ex-
 emplorum disparitatem: in illis enim exemplis quæ adducuntur non re-
 manent externa accidentia, quæ in pane Eucharistico remanere conten-
 dunt: præterea semper in hisce committitur petitio principii, probanda
 prius erat *μετουσίωσις* expressis Scripturæ fundamentis, sicut Exodi. 7.
 expressè dicitur virga in colubrum versa, & Matth. 11. cæci & claudi sana-
 ti. Deniq; serpens appellatur virga, secundum Augustinum, q. 21. in
 Exod. quia mox in pristinam virgam erat rediturus, at Pontificii trans-
 substantiatum panem negant redire ad substantiam panis. Secunda ratio
 erat, quia figuram externam panis retinet, Resp: itidem hæc ratio proce-
 dit ex particularibus, Ergò secundum ipsam Bellarmini confessionem
 non est solidissima: præterea serpens ille æneus & picti leones in templo
 Salomonis æquivocè vocantur serpens & leones, num idem de pane Eu-
 charistico affirmabunt? Si species illa externa panis vera est, veram etiam
 denotabit substantiam, quia figura præsupponit substantiam: nec est si-
 ne substantia vel subjecto. Tertia ratio erat, quia habet effectus & pro-
 prietates panis, qui verò effectus illi? lib. 3. de sacram. Euch. c. 23. dicit
 Bell. divino miraculo fieri, ut accidentia panis nutriant, sed tamen ita
 ut in magna copia sumantur: digni sanè illi homines, ut suo exemplo ho-
 rum suorum figmentorum fidem nobis faciant & per mensam meris acci-
 dentibus nutriantur. Arist. 1. de gener. & corr. text. 41. de discrimine nu-
 tritionis & accretionis differens dicit, quòd res augetur alimento qua-
 tenus quantum est, seu prout secum affert novam quantitatem, nutriantur
 v. eodem quatenus caro est, seu prout in rei viventis substantiam con-
 verti potest, eiq; uniri: & omnes Theologi ac Philosophi communi con-
 sensu docent, quòd alimentum in rei nutritæ substantiam verè commu-
 tetur, Conimb. 1. de gener. & corr. c. 5. q. 11. art. 2. jam verò accidentia
 non possunt mutari in substantiam, quomodo ergò nutrire? Vide Ga-
 len. lib. 1. de nat. facultat. cap. 8. & seqq. Sanè Hipp. lib. de alim. etiam
 spiritus odore nutrirî testatur, sed illa vera nutritio non est, & Philoso-
 phi disputant, odorem plerunq; diffundi è re odorata per substantiam fu-
 meam. Valdè igitur absurda est illa Bellarm. sententia, quòd acciden-
 tia panis Eucharistici vim nutriendi habeant: addit etiam, quòd maneant
 proprietates panis in illis accidentibus, num ergò accidentia illa erunt
 gravia vel levia? Quarta ratio erat, quia more Hebraico omnis cibus di-
 citur panis, & Apostolus notâter addit panem HUNC, respicit ergò ad il-

lum panem, de quo dixerat, quod Christus illum acceperit, fregerit atq; ad manducandum distribuerit, igitur generalis illa significatio hic non habet locum.

X. Utimur ergò hoc argumento, ut probemus vocem panis propriè ab Apostolo accipi. I. Cor. II. v. 23. dicitur Christus accepisse panem & gratis actis fregisse, unde v. 27. infert Apostolus: Itaq; quisquis ederit panem hunc indignè, reus erit corporis Christi: particula *ὡς* indicat connexionem: aut ergò vocabulum panis v. 23. & 27. uno eodemq; modo accipitur, videlicet propriè, aut nulla erit sermonis Apostolici connexio. Excipit Bellarm. I. Cor. 10. v. 17. panis vocem in uno eodemq; versiculo simul propriè & tropicè accipi. R. Secundum Pontificios in hoc versiculo Panis vox utrobique tropicè accipitur: quòd a. Panis vocem in priore saltem istius versiculi membro tropicè accipiamus, eò nos ducit ipse textus, omnes unus panis sumus, utiq; non naturalis: Proben Pontificii eadem necessitatis lege nos cogi, ut in membro posteriori (Nam omnes de uno pane participamus) etiam tropicè accipiamus. At inquit Bellarm. Apostolus semper addit *πρὸς διορισμὸν*, qui ederit de pane hoc, quotiescunq; manducabitis panem hunc & qui indignè edit, dicitur reus fieri corporis Christi, quod sine transubstantiatione dici nequit, R. particula illa *δενδινῶν* respiciunt superiora & ostendunt Apostolo sermonem esse de illo pane, de quo dixerat, quod sit communicatio corporis Christi: atq; omnia illa probant non solum panem in cœna manducari, nondum a. inferunt, panem transubstantiatum manducari. Et hætenus exposita sunt duo principalia argumenta, quibus figmentum transubstantiationis oppugnamus, addemus alia minus principalia.

XI. Argum. III. Quodcunq; dogma pugnat cum analogia fidei, id pro articulo fidei haberi nequit. Dogma de transubstantiatione pugnat cum analogia fidei. Omne enim sacramentum constat verbo & externo Elemento, sola accidentia non veniunt nomine Elementi. E. cœna Domini apud Pontificios caret externo Elemento. Pertinet huc locus Irenæi lib. 3. adv. hæres. cap. 34. Quemadmodum qui est è terra panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cœlesti &c. Excipit Bellarminus species sensibiles esse illud externum Elementum: sed hoc nihil est, quia verbum sacramentale non mutat ipsam Elementi externi substantiam, ut patet in aqua baptismali. Præterea per transubstantiationem tollitur analogia inter rem terrenam & cœlestem, tum principalis tum minus principales. Principalis analogia est, quòd sicut panis materialis est medium idoneum ad distributionem corporis, vel est *κοινωνία* corporis CHRISTI, ita calix cum vino est medium idoneum ad distributionem sanguinis CHRISTI vel est *κοινωνία* sanguinis CHRISTI. Minus princi-

principales analogiæ consistunt in facultate naturali nutriendi, quam habent panis & vinum, & in fructu Cænæ, qui est nutritio spiritualis ad vitam æternam: Item sicut panis est substantia è multis granis collecta, ita unum corpus efficiuntur, qui de uno pane participant, hæ significati-ones non possunt tribui nudis accidentibus panis. Excipit Bellarm. sufficere, quòd significet panis ratione accidentium, quæ sola sunt signa sensibilia, & Si panis verè debet significare, oportet ut sit verus panis. Rectè Scotus ex Ambrosio: In Sacramento veritatis non debet esse falsum, at si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus. Frigidè admodum lib. 3. de sacr. Euch. c. 24. responderet Bellarminus fieri illud supra Naturæ ordinem, petitur principium & manet absurdum, sc: supra Naturæ ordinem aliquid esse falsum in sacramento veritatis. Tandem igitur repetit quòd species Sacramenti divino miraculo nutriant, si in magna quantitate sumantur, cujus pronunciati absurditatem ut Scholastici effugerent, aliter respondent ad quæstionem, An species sacramentales nutriant. Thom. p. 3. q. 77. art. 6. dicit eas nutrire eodem modo, quo ex illis aliquid generatur, id conatus fuit explicare art. 5. difficile, inquit, est assignare, quomodo ex illis speciebus aliquid generetur. Quidam dixerunt, quòd ex aère circumstante, quidam quòd redeat substantia panis & vini, utrumq; improbat, & statuit quòd in consecratione detur quantitati, quòd sit primum subjectum subsequenti formarum, hoc autem cum sit proprium materiæ, ideò ex consequenti dari quantitati omne id, quod ad materiam pertinet. Biel 4. sent. dist: 12. q. 1. art. 3. dub. 3. sic procedit: Sumtis speciebus & eis alteratis usq; ad eam dispositionem, sub quâ non maneret substantia panis, si non præcessisset consecratio, & sub qua desineret corpus CHRISTI esse sub speciebus sic alteratis, producitur materia vel panis, quæ præfuit, vel alia numero & illam materiam agglutinatam reliquæ carni sumentis incipit informare forma hominis.

XII. Arg. IV. Quodcunq; dogma evertit Naturam rei, de qua agit, pro articulo fidei haberi nequit. Dogma transsubstantiationis evertit Naturam rei, de qua agit. Ergò &c. Sacramentum Eucharistiæ efficitur benedictione divinâ, at illa conservat res, Papis benedictio illa efficit ut panis intereat & annihiletur. Excipit Bellarm. non fieri annihilationem, etiam si panis nihil sit, tamen id, in quod ipse conversus est, non est nihil, nec nullum, nec nusquam. Admitto, ait postea, panem per consecrationem interire, ut ei succedat corpus CHRISTI sed aliud est corrumpi & interire, aliud annihilari. & Materia panis post consecrationem aut manet & est aliquid, aut est nihil. Si manet & est aliquid, jam non est transsubstantiatio, quia non tota substantia interiit: si est nihil, ergò fit annihilatio: neq; est, quod proferatur successio corporis CHRISTI, quæro enim, num corpus Christi sit factum ex materia panis? affirmare videtur Thomas p. 3. q. 75. art. 3. ubi dicit, non posse dari aliquem modum, quo CHRISTUS verè incipiat esse in hoc Sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum, quæ conversio tollitur positâ vel annihilatio.

ne, vel resolutione in præiacentem materiam. Bellarminus tamen 3. de
sacr. Euch. c. 18. illam conversionem dicit non esse productivam sed ad-
ductivam, & sic negat corpus CHRISTI factum esse ex materia panis:
desiit ergò materia panis, omninò enim aliud est successio in lo-
cum substantiæ intereuntis, aliud est ex substantia una conversio in aliam.
Scotus 4. sent. dist. 11. desitio panis secundum se considerata est annihi-
latio, & tamen ipsa conversio non est annihilatio, quia ejus terminus non
est nihil. Transsubstantiatio insuper evertit panis & vini substantiam,
remanentibus accidentibus; tollit Naturam accidentium, quæ ponit fi-
ne subjecto, cùm tamen Thomas p. 3. q. 77. disputet, fieri non posse, ut
miraculosè definitio rei ab aliqua re separetur, ideoq; esse in subjecto non
posse separari ab accidentibus, cùm illorum definitionem ingrediatur.
Excipit Bellarminus, inhærentiam in subjecto ad accidentis essentiam
non pertinere, cùm Basilius homil. 6. hexaëm. doceat, lucem Solis crea-
tam prima die & mansisse absq; vehiculo tribus diebus. R. probabilior
eorum sententia, qui è vocis proprietate & opere diei quarti, lucisq; offi-
cio & cœli Natura lucida statuunt, lucem illam primigeniam fuisse cor-
poris lucidi qualitatem, illud autem corpus erat procul dubio cœlum
jam conditum, sed aquis adhuc immersum, unde etiam lux fuit exilior, ut-
pote nondum ex aquarum nebuliseducta nec in unam cœli partem, quæ
nunc est Sol, collecta, sed per totam hemisphærium cœlestis machinæ
sparsim diffusa. Idem Basilius hom. 2. hexaëm. statuit, quod lux illa e-
missione & contractione radiorum diem & noctem fecerit DEI jussu, sed
hanc opinionem confutat August. lib. 1. de Genes. ad lit. c. 11. & 16. Per-
git Bell. & ex Aristotele cupit probare inhærentiam non esse de essentiâ
accidentis: producit lib. 3. de anim. text. 9. aliud est magnitudo, aliud
esse magnitudinis. R. ex 7. Metaph. colligi potest, quòd Accidentis esse
sit inesse. Sic ergò procedimus: Quicquid absq; subjecto inhærentiæ
subsistit, illud est substantia; At nullum accidens est substantia. E. nul-
lum accidens absq; subjecto inhærentiæ subsistit. Propositio patet ex im-
mediata illa Archytæ divisione. Omne Ens vel est in subjecto ut accidens,
vel non est in subjecto ut substantia. Aristoteles lib. Categor. c. 1. & 3.
explicante Zab. in tabulis super Isag. Porph. docet, proprium esse omnis
accidentis esse in subjecto inhærentiæ, sicut substantiæ non esse in subje-
cto inhærentiæ. Scal. exerc. 10. Est accidentis essentia inhærerere. Thom.
p. 1. q. 28. art. 2. Accidentis esse est inesse subjecto. Vide Timplerum lib.
3. Metaph. c. 3. q. 9. Quicquid sit de accidentium essentia, probanda pri-
us ex divinis Scripturis DEI voluntas, quòd velit accidentia panis con-
servare abq; subjecto, & tùm non amplius argumentis philosophicis eos
urgebimus

Deniq; transsubstantiatio evertit Naturam corporis & sanguinis
CHRISTI, quod minimè transsubstantiatur ex pane & vino, sed operan-
te SS. conceptum & natum est ante annos 1606. ex Maria virgine. Ex-
cipit Bell. per transsubstantiationem corpus CHRISTI non produci
sed

sed succedere substantiæ panis, & desinant ergò abuti vocibus, aliud est in locum alterius succedere, aliud ex substantia una converti in aliam, conversionem adductivam statuere est *ἀντικείμενον ἐν προκειμένῳ*. Si enim est conversio, non potest esse successio vel adductio: at ne transubstantiationi aliquid derogatum videatur, statim addit Bellarminus, sacerdotes Christi corpus ex pane conficere, quod sic explicat, corpus Christi fieri ex pane non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne MARIÆ virginis, sed tanquam ex termino à quo, quomodo ex nihilo factum est cœlum, ex die fit nox, & ex aqua factum est vinum, & quis verò unquam dixerit, nihilum transubstantiatum fuisse in cœlum, diem transubstantiari in noctem? Si verò eo modo ex pane fit corpus Christi, sicut ex aqua factum est vinum, Ergò ex materia panis fit corpus Christi. Ergò pereunt etiam accidentia panis, sicut ibi accidentia aquæ: non enim aquæ accidentia sunt adhuc in vino. Ergo Missifices eadem potestate mutant panem in corpus Christi, quâ Christus mutavit aquam in vinum.

XIII. Argum. V. Quodcunq; dogma perpetuis laborat contradictionibus, non potest haberi pro articulo fidei. Dogma transubstantiationis multis laborat contradictionibus. E. Percurremus aliquas contradictiones. Quærunť an sit aliqua virtus in verbis cænæ ad transubstantiationem? Thomas p. 3. q. 78. ar. 4. Statuere, quòd nulla virtus creata sit in verbis cænæ ad transubstantiationem, repugnat & dictis sanctorum & dignitati sacramentorum: cùm ergo hoc sacramentum sit cæteris dignius, consequens est, quòd in verbis formalibus hujus sacramenti sit quædam virtus creata ad conversionem faciendam, instrumentalis tamen, ibidemq; addit, per hunc modum verba illa convertere panem in corpus Christi, sicut tactus manus Christi sanavit leprosum. Biel contra 4. sent. dist. II. q. 1. art. 3. dub. 5. Sacramenta non efficiunt, quod significant, per aliquam virtutem insistentem, sed per virtutem divinam assistentem: nec verba prolata aliquid efficiunt, nisi quòd ad prolationem eorum Deus signo per se instituto assistens operatur: requiritur a: verborum prolatio ex institutione Christi ut prævia, non ut concomitans. Quærunť, an à Christo instituta sit certa verborum forma ad transubstantiationem necessaria? Thomas p. 3. q. 78. ar. 1. Quidam dixerunt, quòd Christus absq; omni forma verborum hoc sacramentum perfecit & postea verba protulit, hoc videntur sonare verba Innocentii III. quidam dicunt, quòd illa benedictio facta sit verbis nobis ignotis, quidam dicunt, quòd Christus illa verba bis protulit, primò secretè ad consecrandum, secundò manifestè ad instruendum: quidam dixerunt, quòd Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverint, quores sunt gestæ. Thomas putat, quòd participium, dicens, importet concomitantiam quandam verborum prolatorum ad ea, quæ post dicit, hoc sensu: dum benediceret & frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit: Hoc est corpus meum. Quæ-

Quærun, num propositio illa, Hoc est corpus meum, proferatur à sacerdote recitativè vel significativè: prius statuit Innocentius de officio Missæ part. 3. cap. 6. & 9. posterius Alexander Alensis, Thomas & alii. Quærun, qualis sit illa conversio, an formalis, vel substantialis vel alterius generis? Lomb. 4. sent. dist. II. lit. A. respondet, definire non sufficio. Thom. p. 3. q. 75. art. 2. quidam posuerunt, quòd substantia panis & vini maneant, ar. 3. quidam putantes impossibile quòd substantia panis vel vini in corpus Christi cõverteretur, posuerunt, quòd per confectionem substantia panis & vini vel resolveretur in præjacentem materiam, vel quòd annihilaretur. Durand. 4. sent. dist. II. q. 3. vult formam panis converti, materiam non converti. Ruperrus Tuiciensis docet panem Eucharistiæ hypostaticè assumi à Verbo. Bell. 3. de Euch. c. 18. ponit conversionem adductivam. Quærun de accidentibus panis, ubi fundentur post consecrationem? Lomb. 4. sent. dist. 12. potius mihi videtur fatendum existere sine subjecto quàm in subjecto. Thom. p. 3. q. 77. art. 1. quidam dicunt, quòd accidentia fundentur in aère, sed art. 2. quantitas dimensiva est subjectum istorum accidentium, Thomam sequuntur Jesuitæ.

Quærun, quo tempore fiat transsubstantiatio? Glossa de consecrat. dist. 2. c. cum omne lit. M. multas refert opiniones. Quidam dicunt, quòd non fiat transsubstantiatio, nisi ultimam syllabam U M totius formæ prolatam. Alii existimant, ut Hugo, quòd cum dicitur, hoc est corpus meum, quòd transsubstantietur sub illa conditione, scilicet si statim subjungatur. Hic est sanguis meus, aliter non. Alii dicunt, incertum esse in rerum Natura, utrum in continenti sit corpus CHRISTI. Aliis fit transsubstantiatio in ultima litera M. Quærun, quid fiat de aqua vino apposita in consecratione? Thom. p. 3. q. 74. art. 8. ex Innocentio III refert tres opiniones. Quidam dicunt, quòd aqua per se maneat vino in sanguinem converso. Quidam dicunt, quòd sicut vinum convertitur in sanguinem CHRISTI, ita aquam converti in aquam istam, quæ de CHRISTI latere profluxit. Quidam dicunt, quòd aqua convertatur in vinum & vinum in sanguinem, ideoque suadent parum aquæ apponendum.

Quærun, utrum Sacerdos possit quantamcumque materiam panis virtute verborum transsubstantiare in corpus CHRISTI? Alensis tract. 4. de Euchar. tenet, quòd non, sed solummodò illam quantitatem, quæ potest rationabiliter sumi à fidelibus. Thomas 4. sent. dist. II. & Richardus tenent contrarium. Quærun, si mus comedit illas species num transeat corpus CHRISTI in ejus ventrem? Lomb. 4. sent. dist. 13. lit. A. quid sumat mus vel quid manducet, DEUS novit. Bonav. 4. sent. dist. 13. q. 1. Quidam dixerunt quòd sic. Johannes de Burgo de cust. Euch. c. 10. Mus comedens hostiam, suscipit corpus CHRISTI. Alensis p. 4. q. 45. in emb. 1. art. 2. itidem affirmat, ut & Th: p. 3. q. 8. art. 3. Glossa in can: Qui benè: de consecr. dist. 2. Fortalit. fidei lib. 3. alii quòd non, quia CHRISTUS non est sub illo Sacramento nisi eatenus quatenus est ordinabilis ad usum humanum sc: ad manducationem Bonav. & Astesanus loco dicto. Vide tractatum Wilhelmi Holderi, cui titulus: Mus exeteratus.

Quæ-

Quærent, utrum illæ duæ formæ consecrationis panis & vini se expectent quantum ad eorum effectum? vel utrum quælibet sine alia effectum proprium fortiatur? Biel lect. 53. in Canonem. Et quis omnes dissensiones Scholasticorum & aliorum scriptorum Pontificiorum percensere possit?

XIV. Argum. VI. Transsubstantiatio plurimas gignit absurditates philosophicas & Theologicas. Ponit accidentia sine subjecto, concedit annihilationem, accidentibus tribuit vim nutriendi &c. Positâ transsubstantiatione non possunt verba institutionis rectè & constanter exponi, vox panis in Cœnæ descriptione simul propriè & tropicè intelligenda, falsa est collatio Antiquitatis inter sacram Cœnam & personam CHRISTI, duplex concedenda conversio, aquæ in vinum & vini in sanguinem CHRISTI, multa indignissima de corpore CHRISTI concedenda. Pertinet huc, quod transsubstantiatio peperit alios errores & superstitiones sc: ἀρτολατρείαν, repositionem hostiæ consecratæ, circumgestationem &c. quorum omnium nullum in sacratissimæ hujus Cœnæ institutione apparet vestigium.

XV. Patrum sententiam quod attinet, illi itidem vocabula panis & vini in hoc mysterio semper retinuerunt, nusquam verò nudam speciem vel sola accidentia panis appellant. Ignat. Epist. 6. ad Philad. Una est caro DOMINI nostri JESU CHRISTI & unus illius sanguis, qui nobis effusus est, & unus calix qui pro nobis omnibus distributus, unus panis, qui omnibus fractus. Justinus in Apolog. 2. p. 76. edit. Commel. Non ut communem panem, neq; communem potum ista sumimus &c. Iren. lib. 4. adv. hæres. c. 34. Qui est à terra panis percipiens vocationem DEI, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duab. reb. constans, terrena & cœlesti. Clemens Alexandr. lib. 2. pædag. c. 2. Quod autem vinum esset, quod benedictum est, ostendit rursus dicens discipulis, Non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero ipsum vobiscum in regno Patris mei. Origenes in Matth. c. 15. Quod si quicquid ingreditur in os, in ventrem abit & in secessum ejicitur, & ille cibus, qui sanctificatur per verbum DEI, perq; obsecrationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abit & in secessum ejicitur, &c. Bellarminus per materiale intelligit accidentia, sed quæ Grammatica hanc phrasin aut quæ Rhetorica hunc tropum proponit? Cyprianus ad Magnum filium Epist. 75. Quando DOMINUS corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum, & quando sanguinem suum vinum appellat de botris atq; acinis plurimis expressum, atq; in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Concil. Nicæn. Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attolentes mentem fide intelligamus, situm in sacra illa mensa agnum DEI tollentem peccata mundi. Cyrill. Hierosol. catech. 4. Ne consideres tanquam panem nudum & vinum nudum, corpus enim est &

C

sanguis

sanguis CHRISTI secundum ipsius DOMINI verba. Chrys: in Epist. ad Cæsarium Monachum tempore exilij. Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divinã autem illum sanctificante gratiã, mediante sacerdote liberatus quidem est ab appellatione panis, dignus autem habitus est DOMINICI corporis appellatione, etsi Natura panis in ipso permanfit. Augustin. in serm. ad infantes ad altare citante Beda I. Cor. 10. Quod vidistis, panis est & calix, quod etiam oculi vestri renunciant, quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus CHRISTI, calix sanguis. Theod. Dial. 1. p. 339. edit. Col. Qui, quod natura corpus est, triticum & panem appellavit, & vitem rursus seipsum nominavit, is symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit, non Naturam quidem mutans, sed Naturæ gratiam adiiciens. Dial. 2. p. 339. Eranista: Sicut symbola DOMINICI corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante invocationem sacerdotis, sed post invocationem mutantur & alia fiunt, ita etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in divinam substantiam: responder Orthoxus: Quæ ipse texuisti, rebus captus es. Neq; enim signa mystica post sanctificationem recedunt a sua Natura, manent enim in priore substantia & figura & forma & videri & tangi possunt, sicut & prius: intelliguntur a. ea esse quæ facta sunt & creduntur & adorantur *ὡς ἄνθρωποι*, ut quæ illa sint, quæ creduntur &c: Bellarm. lib. 2. de sacram. Euch. c. 27. Theodoretum sic explicat, quod per substantiam & Naturam symbolorum intelligat accidentia sensibilia, sed totus contextus fortissimè hanc interpretationem refellit, ideoq; in Epistola Theodoretæ præfixa in editione Romana per Stephanum Nicolinum Sabiensem Chalcographum Apostolicum Anno 1547 dicitur, Theodoretum in his locis de Transsubstantiatione minùs commodè sentire, excusandum nihilominus, quòd de ea Ecclesia nondum legem tulisset. Gelasius libro de duab. Naturis CHRISTI: Cerrè sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis CHRISTI divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes Naturæ & tamen esse non desinit substantia vel Natura panis & vini: Dicti hujus perspicuitatem sustinere non potuit Caspar Contarenus Cardinalis in Colloq. Ratisbonensi Anno 41.

Hesychius lib. 2. in Levit. c. 8. tradit, fuisse morem in Ecclesia igni tradi quæcunq; remanere contigerat inconsumta. Evagrius l. 4. hist. Eccles. c. 36. refert Constantinopoli fuisse usitatum, pueros ex schola vocare ad comestionem partium residuarum. Si transsubstantiationem credidissent, nunquam id fecissent. Anno 1141. Otto Frisingensis credidit & scripsit, panem & vinum manere in Eucharistia.

XVI. Adeamus jam ipsos adversarios, quorum aliquibus veritatis splendor oculos aperuit. c. Panis est in altari dist. 2. de consecr. ex Ambrosio. Si tanta vis est in sermone Domini JESU, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant & in aliud commutentur,

rentur, & sic quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post cōsecrationem. Nota, sunt quæ erant illa externa symbola etiam post consecrationem. Et postea. Sicut Christi persona constat & conficitur ex DEO & homine, quia omnis res illarum rerum Naturam & veritatem continet, ex quib⁹ conficitur. Conclude: Christus, ut sit DEUS, non idè minus homo: Neq; igitur panis & vinum, ut sint sacramenta, vinum minùs & panis. Scotus 4. sent. dist. II. q. 3. lit. B. Circa hoc erant tres opiniones: una quod panis manet, & tamen cum ipso verè est corpus Christi, alia quod panis manet & tamè non cōvertitur, sed desinit esse vel per annihilationè vel per resolutionè in materiã vel per corruptionem in aliud. Tertia, quod panis trãsubstantiatur in corpus & vinum in sanguinem. At. 1. veritas Eucharistiæ salvari potest sine illa transsubstantiatione. 2. Substantia panis sub speciebus magis est nutrimentum, quàm accidentia: Ergò magis repræsenter corpus Christi in ratione nutrimenti spiritalis. 3. Iste intellectus, quod non sit ibi substantia panis, videtur difficilior ad sustinendum & ad ipsum sequuntur plura inconvenientia, quàm ponendo ibi esse substantiam panis. 4. Mirum videtur, quare in uno articulo, qui non est principalis articulus fidei, debeat talis intellectus asseri, propter quem fides pateat contemptui omnium sequentium rationem. Deniq; nihil est tenendum tanquam de substantia fidei, nisi quod potest expressè haberi de scriptura vel declaratum est per Ecclesiam vel evidenter sequitur ex aliquo planè contento in Scriptura vel planè determinato ab Ecclesia. Nunc verò non videtur expressè haberi, non esse ibi substantiam panis. Nam Joh. 6. ubi multùm probatur veritas Eucharistiæ, planum est ubi Christus dicit, Ego sum panis vivus: & I. Corint. II. Paulus: Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? nec invenitur, ubi Ecclesia istam veritatem determinat solenniter, nec etiam qualiter istud possit ab aliquo manifestè credito evidenter inferri. Petrus de Aliaco Cameracensis Cardinalis in 4. sent. dist. II. q. 6. art. I. Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet &c. quicquid tamen sit de hoc, patet, quod ille modus sit possibilis, nec repugnat rationi nec auctoritati Bibliæ, imò est facilius ad intelligendum & rationabilior, quàm aliquis aliorum, qui ponit, quod substantia panis deserat accidentia. Occam lib. 4. sent. dist. II. q. 6. In potestate DEI est, esse substantiam sub specie panis & non esse. Ejus primus modus potest teneri, quia non repugnat rationi nec auctoritati Bibliæ, & est rationabilior & facilius ad tenendum inter omnes modos: quia tamen determinatio Ecclesiæ in cōtrariũ existit, communiter Doctores tenent, quòd ibi non remanet substantia panis. Durandus 4. sent. dist. II. q. I. art. 14. satis durum est & derogare videtur immensitati divinæ potentiæ, dicere, quòd DEUS non possit facere, corpus suum esse in sacramento per alium modum, quàm per conversionem substantiæ panis in ipsum: maximè cum ponendo conversionem fieri, difficilimum est videre, qualiter ipsa faciat aliquid ad

hoc, quod corpus Christi sit in Sacramento. Biel in Can. lect. 40.
Quomodo ibi sit Christi corpus, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat ibi esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia & accidentibus panis, non invenitur expressum in Canone Biblia. In Concilio Florentino Anno 1438. cum Græci & Latini de Transubstantiatione convenire non possent, ut in ejus actis continetur, non idè minus unio inter Græcam & Latinam Ecclesiam sub signata est, cujus initium, Exultent cæli, &c. Gerson in tract. de comm. Laic. dicit, si Laicis sub utraq; specie cæna detur, periculum esse, ne acefcat vinum; si ibi solus sanguis & mera vini accidentia, nullum acoris periculū. Anno 1320. Johannes Parisiensis Doctor Theologus Professione Dominicanus publicè disputavit, panem per consecrationem non transubstantiari, de quo & librum conscripsit Guidoni de Perpiniano Carmelitæ inscriptum. Anno 1370. Johannes Wiclefus in Acad. Oxoniensi Theologiæ Professor floruit, is apud Guilielmum Widefordum qui contra eum scripsit, sic loquitur: Manet panis & vini substantia post ejus consecrationem. Sacramentum altaris est naturaliter panis & vinum, sacramentaliter corpus Christi, quanquam aliqui fingunt ipsum esse accidens sine substantia adjecta. Fructus istius dementiæ est blasphemare in DEUM, scandalizare sanctos per mendacium accidentis. Langus Pontificius & Imperatoris Maximiliani secundi Consistorialis fuit, de eo sic legitur in Indice expurgat. Belgico p. 76. & in Ind. Expurg. Hispan. fol. 140. p. 2. Quæcunq; Langus prolixè satis de Eucharistiæ sacramento recenset, à pagina centesima septuagesima nona usq; ad rescriptum Hadriani Imp. pagina centesima nonagesima nona, judicamus delenda: nam multa continent parùm Catholicæ religioni consona, inter ea a illud est præcipuum, quod Transubstantiationem non agnoscit, sed apertè contendat cum corpore & sanguine Christi remanere veram panis & vini substantiam. Johannes Picus Mirandulanus Comes contra transubstantiationem Romæ publicè disputare ausus. Conclus. 2. sine conversione panis in corpus Christi vel panëitatis annihilatione corpus Christi manducatur, quatenus nempe quamcunq; creaturam DEUS suppositare potest, quo posito & panis remaneat & corpus sit cum pane. Erasmi. in 1. Corint. 7. pag. 327. In Synaxi transubstantiationem serò definivit Ecclesia, diu satis erat credere sive sub pane consecrato sive quocunq; modo adesse verum Christi corpus.

Cassander in consult. ad maximil. 2. pag. 66. transubstantiationem dicit & nomine & re novam esse, tutius Patrum verbis & sententiis stari.

XVII. Hastenus sententiam nostram confirmavimus, videamus jam quid Pontificii de hoc doctrinæ Christianæ capite statuant. Non autem afferemus in medium diversas illorum de transubstantiatione sententiæ & mōstra opinionū, siquidē quidā ex illis eò sunt progressi, ut scribere

bere non erubuerint: *Qui creavit me sine me, creatur mediante me.* Stella Clericorū. Jacob^o de Vitriaco, qui referente Nicolao Vinerio in Historia Ecclesiast. sub annum 1215. insignis fuit suo tempore Theologus, dixit: Per rationem transubstantiationis creatura pistoris in Deum creatorem transmutatur & adoratur pro DEO. Proponemus a. Pontificiorum sententiam verbis Concilii Tridentini & ejus interpretis Bellarmini. Sic ergo habet Concilium sess. 3. sub Julio III. cap. 4. Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, idq; nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & propriè à S. C. E. Transubstantiatio est appellata. Bellarm. lib. 3. de sacram. Euch. c. 18. dicit, Theologos ob Conciliorum & Ecclesiæ autoritatem convenire in eo, quòd ratio proxima & propria, cur in Eucharistia sit corpus Domini, sit totalis conversio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini: interim fatetur, eos in modo explicandi nonnihil discrepare. Ipse autem quibusdam præsuppositis concludit, Conversionem illam non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam: Nam corpus Domini præexistit ante conversionem, sed non sub speciebus panis: Conversio igitur non facit, ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis.

XVIII. Robur præcipuū causæ suæ petunt ex verbis illis Christi, Hoc est corpus meum: ex quibus ita colligit Bell. 3. de sacr. Euch. c. 19. Verba illa, Hoc est corpus meum, necessariò inferunt aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, ut volunt Calvinistæ, nullo a. modo sententiam Lutheranorum admittunt. R. nervus argumenti consistit in eo, quòd de pane non possit prædicari, quòd sit corpus Christi, nisi intercedat mutatio: sed convenient prius inter se Pontificii, quid per *τοῦτο*, Hoc, intelligi velint. Thom. p. 3. q. 78. art. 5. quidam dixerunt, quòd importet demonstrationem, ut conceptam, non ut exercitam, quia ista locutio sumitur materialiter, cùm recitativè proferatur. Alii dixerunt, quòd facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus, Hoc est corpus meum, id est, significatum per hoc, est corpus meum. Alii dixerunt, quòd dictio hæc facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur hæc demonstratio non pro illo instanti locutionis, sicut cùm aliquis dicit, Nunc taceo: adverbium, Nunc, facit demonstrationem pro instanti immediatè sequenti. Thomæ sententia est, quòd significet contentum in generali sub istis speciebus, sive substantiam in communi sine qualitate, id est, forma determinata. Innocentio tertio lib. 4. myst. Missæ c. 7. nihil demonstrat. Cùm his verbis (inquit) sacerdos non utatur demonstrativè sed recitativè,

quemadmodum Christus ait: Ego sum vitis vera. Scotus 4. sent. dist. 8. q. 2. vocat individuum vagum, de quo Christus pronunciarit, Hoc est corpus meum jam consecratum, jam confectum per benedictionem, quæ præcessit. Bonaventura 4. sent. dist. 8. q. 1. lit. G. Hoc, id est, panis, panis substantia: sed contra Rhenatus in panoplia super hæc verba: Petra erat Christus: Catholica Ecclesia nunquam dixit, panem esse corpus Christi. Guitmundus li. 2. contra Berengar. blasphemum dicit, quod nomen Hoc ad panem referatur. Occam 4. sent. q. 6. dist. 13. Hoc refertur ad corpus Christi: Sic ergo resolvit. Corpus Christi est corpus Christi: idem sentit Petrus de Aliaco. 4. sent. q. 5. art. 1. & addit, Hoc demonstrat corpus Christi, alioqui falsa est propositio. Contra Holc. 4. sent. q. 3. Vana hæc & inepta est propositio, videlicet identica: idem sic resolvit: dicunt quod demonstrat hoc, quod est commune utriq; termino interminatè. Quia autem ex ipsorum hypothefibus corpus Domini non potest adesse, quin omnia verba sint prolata, idem Johannes de Burgo de forma verb. requisita c. 4. resolvit. Hoc sub hac specie præsens vel de propinquo futurum, est corpus meum. Bell. 1. de Euch. c. 11. fatetur Pontificios non convenire in explicatione, quid demonstrat pronomen Hoc: dicit autem, esse duas celebriores sententias: Unam, quod pronomen Hoc demonstrat corpus, alteram, quod pronomen Hoc non demonstrat præcisè panem nec corpus, sed in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus, sic tamen ut demonstratio propriè ad species pertineat, non quidè ut sensus sit, hoc, id est, hæc species sunt corpus meum, sed in obliquo, hoc est corpus meum, id est, sub his speciebus. est corpus meum: posteriorem sententiam Bell. amplectitur. Costerus in Enchirid. p. 350. sic resolvit: Hoc ipsum, quod vobis trado manducandum, est corpus meum. Pistorius in hod. p. 338. Hoc, id est, hic transsubstantiatus panis, vel hic panis tanquam cibus, vel hoc, quod est sub istis speciebus.

XIX. Est ergo communior Pontificiorum sententia, propositionem Christi sic resolvendam, Hoc est corpus meum, id est, id, quod sub specie panis continetur, est corpus meum, sed illa resolutio manifestè petit principium, eodem namq; jure sic resolvi potest; hoc est corpus meum, id est, quod sub panis substantia continetur, est corpus meum, nimirum probanda prius erat abolitio substantiæ panis. Et quàm omnino nullum in verbis Christi fundamentum habeat Transsubstantiatio, ostendit Biel 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 1. omnes propositiones, inquit, affirmativæ, in quibus termini, significantes panem & corpus Christi, ponuntur in casu nominativo, falsæ sunt, ideo de rigore verborum falsæ sunt: Panis est corpus Christi, quod est panis, est, fuit, erit, seu potest esse corpus Christi. Veræ autem propositiones sunt, in quibus terminus à quo, id est, panis & vinum exprimitur per ablativum cum præpositione ex vel de: aut terminus ad quem id est corpus vel sanguis Christi per accusativum cum præpositione: Veræ ergo sunt: Ex pane fit corpus Christi, de vino fit sanguis Christi, (contra Thomas p. 3. q. 75. art. 8. Non potest propriè dici, quod

ei, quòd de pane fiat corpus Christi) Veræ & hæ: Panis transit, convertitur, vel transubstantiatur in Christi corpus. Hactenus Biel. Quærimus autem, ubi Christus his propositionibus usus sit? Sanè nec hac propositione CHRISTUS utitur: Panis est corpus meum: & quando Paulus in antecedente ponit nomen panis, non prædicat de eo directè corpus Christi, sed vocat *κωνωνία* corporis Christi, neq; tamè Ecclesiasticorū scriptorum linguam corrigimus, qui sæpiùs ita loquuntur: Panis est corpus Domini, sed addimus interpretationem, sc: sacramentaliter, cuius propositionis idem sensus est, qui Paulinæ, Panis est *κωνωνία* corporis.

XX. Disjunctum ergo Bellarminianum: Aut panis metaphoricè mutatur, aut transubstantiatur, est *ἐλλειπὲς*: datur namq; tertium, videlicet, aut mutatur sacramentaliter, fecit enim Christus externa illa symbola panem sc: & vinum, media, *ὀχήματα*, organa rerum cœlestium, corporis & sanguinis sui; quia panis Eucharisticus est *κωνωνία* corporis, dicit Paulus, quomodo? respondet Christus: quando accipitur, benedicitur, distribuitur, manducatur. At, inquit Bellarm. disparatum de disparato non potest affirmatè prædicari, aliàs licebit affirmare de nihilo aliquid, de aliquo nihil, de luce tenebras, de Christo Belial. & pronomen hoc denotat quidem panem, sed non solum, verum totum *συμπεπλεγμένον* sive complexum. Si denotaretur solus panis, quænam foret constructio Grammatica, *ἀρὶς τοῦτο?* si denotaretur solum corpus, propositio foret identica: quando autem duæ res modo quodam unitæ, prædicatum exprimit dignius & sensui minus obvium, partem alteram sensui obviam non exprimit. Non ergò simpliciter disparata de disparatis prædicatur in hac Christi propositione, Hoc est corpus meum. Sed nec illam propositionem, uti diximus, omninò improbamus, Panis est corpus Christi, modò addatur debita explicatio. Panis sacramentaliter est corp⁹ Christi, id est, mediante benedicto pane accipitur & manducatur corpus Christi. Bellarm. contra Chemnicium disputat, conjunctionem panis & corporis Christi non sufficere, ut dici possit Panis est corpus Christi, & at sufficit, ut dici possit monstrato benedicto pane, Hoc est corpus Christi. Propositionem enim illam, Panis est corp⁹ Christi, explicamus ex illa propositione Paulina, Panis benedict⁹ est *κωνωνία* corporis Christi, ut sit sensus, Panis Eucharisticus per & propter unionem sacramentalem in usu ab ipso Christo definito non amplius est nudus panis, sed etiam corpus Christi. Declarant hoc Præceptores nostri, & in his D. Chem: exemplo propositionum de Christo: Hic homo est D E U S, & hic D E U S est homo: Etsi enim unio panis & corporis Christi non est personalis, habet tamen illud cum unione personali duarum

duarum Naturarum in Christo commune, ut propter unionem sacramentalem, de pane & vino prædicentur corpus & sanguis Christi, nempe sacramentaliter, sicut Christus homo dicitur **D E U S** propter unionem personalem. Sicut in Christo duæ Naturæ sunt in una persona, unde unio earum dicitur personalis; ita res terrena & cœlestis in Eucharistia sunt unum sacramentum, unde earum unio dicitur Sacramentalis. Bellarminus ridet Chemnicium, quod propositiones illas, **Homo est D E U S**, **D E U S est homo**, non possit referre ad regulas Aristotelicas, postulamus ergò, ut sedem earum in prædicabilibus Aristotelicis nobis ostendat: quantò rectius Bonaventura. Non potest hæc prædicatio reduci ad alios modos prædicandi consuetos & usitatos; Non enim est prædicatio per essentiam, nec per causam, nec per inhærentiam, nec per se, nec per accidens, sed est modus prædicandi singularis. Breviter: ut res habet se in esse, ita in prædicari, at personalis illa unio est *ἐξ αίρετ*

καὶ μονότροπ, Ergò etiam tales prædicationes personales sunt inusitatae, ut in scholis appellari solent. Contendit Bell. non rectè huc afferri unionem personalem, quippe quæ non habeat locum in cœna *ϋ*. Verùm Gelafius, Theodoretus & alii collatione ista Eucharistia & personæ Christi usi sunt. Instituitur autem non ratione speciei, sed ratione generis, etsi n: unio hæc, panis & corporis **C H R I S T I**, personalis non sit, tamen ratione generis cum personali unione hoc commune habet, quòd propter unionem de pane prædicatur corpus Christi sacramentaliter. Ratio prædicationis, quæ fluit sæpissimè ex unione generica, non specifica, potest esse eadem, etiamsi modus unionis specialis seu specificus sit diversissimus. Exempli gratia, cum dico, corpus est animatum, homo est docilis, homo est eruditus, paries est albus, prædicationis ratio est in genere una, sc: denominativa, unio v in istis exemplis est diversissima, aliter n. uniuntur anima & corpus, aliter homo & docilitas, aliter homo & eruditio, aliter paries & albedo, ut benè doctus quidam Philosophus annotavit.

XXI. Alterum exemplum, quo Dn. Chemnicius verba, Hoc est corpus meum, declarat, petitur ex Joh. 20. ubi Christus insufflans in discipulos, inquit: Accipite Spiritum sanctum. Excipit Bellarm. verborum istorum sensum non esse: Accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus Sanctus, sed hanc: Accipite in hac insufflatione seu per hanc insufflationem, ut per signum & causam instrumentalem donum Spiritus Sancti: Acceptamus, quod dat, & subjungimus, verba Christi in cœnæ institutione itidem hunc habere sensum, Accipite, Hoc est corpus meum, id est, in hoc pane, seu per hunc panem, ut per signum & causam instrumentalem accipite corpus meum. Usus enim illarum particularum in, cum, sub, in doctrina cœnæ, occurrere apud antiquos Ecclesiæ Doctores, testatur ipse Cassander. Ut ergò flatus ille fuit & mansit halitus, etiamsi esset medium *νοῦνοῦτος* Spiritus Sancti, ita panis natura & substantia non

tia non tollitur, sed est medium *non vicius* corporis Domini. Tertium exemplum est, quod Baptista affirmat, se vidisse Spiritum Sanctum descendentem super Christum, & tamen non fuit columba transsubstantiata. Excipit Bellarm. nusquam legi, quod columba sit Spiritus Sanctus. & quemadmodum Johannes visâ columbâ potuit dicere, se vidisse Spiritum Sanctum propter peculiarem illam revelationem SS. in specie columbæ, ita manducato in cœna benedicto pane rectè dicitur manducari ipsum corpus Domini, propter unionem illam sacramentalem. Joh. i. v. 32. Vidi Spiritum, inquit Baptista, descendentem q: columbam de cælo, at Spiritus Sanctus suâ Naturâ invisibilis, vidit ergò eum in forma columbæ, cui se peculiariter univerat. Quartum exemplum petitur ab assumptis formis Angelorum. Excipit Bellarm. nusquam inveniri hanc propositionem: Corpus ab Angelo assumptum est ipse Angelus. & Attamen qui videt assumptum illud ab Angelo corpus, rectè dicit, se ipsum Dei Angelum vidisse, propter peculiarem illam præsentiam Angeli ad assumptum corpus. Idem judicium de arca Domini, quâ progrediente Moses dicebat: Exurge JEHOVÂH, nimirum propter peculiarem illam præsentiam Dei circa arcam, quod est exemplum quintum. Sextum exemplum ducitur ab usitatis in lingua vulgari prædicationibus: quando enim loquimur de dolio & vino, de marsupio & pecunia, de fasciis & infante, dicimus: illud est vinum, quod amicus tibi mittit. Accipe pecuniam, quam tibi debeo. Affer infantem: & nemo statuit annihilationem vel transsubstantiationem dolii, marsupii, fascium & similium. Excipit Bellarm. non posse dici, dolium est vinum, Marsupium est pecunia, & Neq; hoc volunt Lutherus & Chemnicus, sed exemplo illarum propositionum ostendunt, quemadmodum rectè dico, ostenso dolio quod vinum continet, hoc est vinum, ostenso marsupio, hoc est pecunia, &c. ut scilicet in prædicato saltem exprimaturs pars dignior & principalior, alterâ sensus judicio relictâ: ita Christum ostenso pane rectè dixisse, Hoc est corpus meum, neq; ullam inde consequi transsubstantiationem, sed saltem requiri sacramentalem panis & corporis Christi unionem. Tota structura disputationis Bellarminianæ nititur hac hypothese, quod pronomen Hoc denotet solùm panem. At inquit Bellarm. Dominum debuisse secundum nostram sententiam dicere, Hoc est panis & corpus meum, cum substantia panis unâ cum corpore Christi sit res contenta, sola accidentia continens, & panis substantia sensui erat obvia (mediatè scilicet) non igitur opus erat, ut in prædicato exprimeretur & intellectui notificaretur, quemadmodum non opus est, ut monstrato dolio dicam, hoc est dolium & vinum: Etsi verò corpus Christi non sit in pane tanquam in vase aut in loco, tamen veritas prædicationis manet & non quærenda est in identitate speciei, sed in identitate generica. Concludit tandem Bellarminus, licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas vel ambiguitas, eam tamen sublatam esse per Concilia, quæ est tacita confessio,

D

fessio,



fessio, non posse dogma transsubstantiationis ex verbis Christi probari, id quod expressius fateretur cap. 23. seq. non est improbabile, non extare locum in scriptura tam expressum, ut sine Ecclesiae declaratione evidenter cogat transsubstantiationem admittere. Duplici etiam nomine peccat Bell. in tabulas divinas, tum quod in fidei articulis ambiguitatem atq; obscuritatem illis tribuit, tum quod ex Conciliis scripturam dijudicandam censet, cum tamen contra ex scriptura & Ecclesia & Ecclesiae decreta dijudicanda, Repetimus dictum Apostolicum 2. Petri 1. § 19. habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco.

XXII. Alteram argumentorum classem petit Bellarm. 3. de Euch. c. 20. ex testimoniis Patrum à tempore usq; Apostolorum, sed hoc audax est pronunciatum. Lombardus 4. dist. 11. ostendit, ne suo quidem tempore definitum extitisse in Ecclesia, qualis sit illa mutatio seu conversio, de qua veteres loquuntur, an formalis, an substantialis, an alterius generis: definire, inquit, non sufficio. Tho: p. 3. q. 75. art. 2. quidam posuerunt, quod substantia panis & vini maneat. Scotus 4. dist. 11. q. 3. dicit, ante Concilium Lateranense non fuisse dogma fidei transsubstantiationem. Innoc. lib. de off. altaris. Fuerunt, qui docerent, quod sicut post consecrationem vera panis remaneant accidentia, & sic etiam vera panis maneat substantia, quia sicut subjectum non potest subsistere sine accidentibus, ita accidentia non possunt existere sine subjecto. Pertinent huc dicta Erasmi & Cassandri supra recitata. De re ipsa sic respondemus, primo ex sola scriptura sacra argumetra firma & immota in articulis fidei peti possunt: deinde Patrum vocem acceptamus, si consentiat cum voce caelestis Patris in scriptura sonantis, ipsimet namq; hanc sibi statuerunt legem: tertio ex ipsis Patribus nostram confirmavimus sententiam: quarto discernendi Patres orthodoxi in primitiva Ecclesia à scriptoribus Pontificiis posteriorum seculorum.

XXIII. Percurramus tamen in specie aliquot Patrum dicta, quae Bell. urget. Justinus Apol. 2. dicit panem prece Verbi DEI sanctificatum esse carnem Domini & quis negat? Justinus vocat panem sanctificatum non a. transsubstantiatum: ibi: p. 76. post sanctificationem non negat adesse panem, sed negat esse communem panem: adhibet ibidem similitudinem, quemadmodum per Verbum DEI incarnatus est JESUS CHRISTUS Salvator noster & carnem & sanguinem salutis nostrae causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt factae, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Finge cum Bellarm. interire panis substantiam & collatio illa Marcionitis atq; Eutylianis erit accommodatissima. Iren. lib. 4. adv. haeres. c. 34. Quomodo constabit eis, panem, in quo gratiae actae sint, esse corpus Domini. & vocat panem in quo gratiae actae, non autem transsubstantiatum, vocat panem illum corpus Domini, id est, secundum explicationem

tionem Paulinam, *κωωωία* corporis Domini. Ibid. Panis percipiens vocationem DEI (non transsubstantiatus) jam non communis panis est (est & manet panis, sed non solus) sed Eucharistia, duabus rebus (non uno Christi corpore) constans terrena & cælesti.

Tertull. 4. adv. Marc. Acceptum panem corpus suum fecit & non transsubstantiando, sed benedictione divina panem sacramentaliter mutando: argumentum Bellarmini ex hoc loco est à non distributo ad distributum, sive, à genere ad speciem affirmatè: facere panem corpus, non significat simpliciter & absolutè transsubstantiare. Idem. lib. i. adv. Marc. c. 14. nec panem reprobavit, quo ipsum corp^o suum repræsentat. Cyprianus serm. de cæna Dom. panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed Natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro. & non satis constat, an Cyprian^o illius sermonis autor sit, præcedit autem in verbis Cypriani: Ante verba illa cibus ille communis (panis) tantum nutriendo corpori commodus erat & vitæ corporalis subsidium ministrabat: sed ex quo à Domino dictum est: hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea & hic est sanguis meus, quotiescunq; his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacrat^{us}, ad totius hominis vitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum, &c. observa panem benedici, sanctificari, non transsubstantiari. Item substantiam symbolorum externorum non mutari, manere cuiq; suam corporis nutriendi virtutem, alendæ animæ gratiam ex Verbo supervenire. Vox ergò Naturæ non debet sumi pro substantia, Natura nostra mutatur in baptismo, neq; enim amplius Natura filii sumus iræ, sed reddimur DEI filii, ex DEO geniti & tamen eadem manet substantia. Paulò post sequitur: sicut in persona Christi humanitas videbatur & latebat divinitas, ita sacramento visibili (quod necessariò de externis symbolis, pane & vino intelligitur) ineffabiliter divina sese infudit essentia, ut esset religioni circa Sacramenta deuotio, &c. Num v. humanitas conversa in deitatem? num præsentia divinitatis humanitatem absument? Explicamus ergò dictum Cypriani ex Ambrosio, de iis qui myster. initiantur c. 9. Non agnosco usum Naturæ, sed excellentiam gratiæ: & ex Beda in Epiph. in homil. hyem. Panis & vini Natura in sacramentū corporis & sanguinis Christi ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur: ut sit sensus, Panis Natura mutatus id est ultra Naturā & naturales proprietates evectus, ut sit *κωωωία* corporis Christi. Concludit Cyprian. illum sermonem. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuum^o, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, dum quod divinum & humanum est distinguimus & separamus, itemq; simul separata jungentes, unum DEUM & hominem confitemur.

Cyrillus Catech. 4. Vinum transmutavit in sanguinem: sub specie vini datur sanguis: panis non est panis, etiamsi gustus panem esse sentiat. & mutatio illa est sacramentalis, non transsubstantiatio teste Gelasio &

Theodoreto. Nec Cyrillus dicit nudam speciem adesse, & si licet ex vocabulo speciei colligere substantiæ deperditionem, eodem modo ex vocabulo speciei licebit colligere aliorum accidentium amissionem. Quod autem speciei vox non excludat substantiam panis, patet manifestissimè ex Ambrosio de iis qui myster. initiantur c. 9. Ipse clamat Dominus JESUS: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Certè species eo in loco omninò includit substantiam, cum ante consecrationem panis & vini substantiam adesse, ipsimet Pontificii asserant. Panis non est panis id est nudus, sic enim explicat ibidem. Ne consideres, inquit, tanquam panem nudum & vinum nudum, corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba: iisdem verbis catech. 3. de aqua baptismali utitur: non tanquam aquæ simplici studeas huic lavacro, sed ut spiritali gratiæ, quæ cum aqua detur: de chrismate ib. Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum neq; commune, postquam jam consecratum est, &c. Collige: Ut aquæ, ut unguenti substantia non tollitur per consecrationem, ita nec panis Eucharistici. Ambros. de iis qui myst. initiantur c. 9. Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod Natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremq; vim esse benedictionis quam Naturæ, quia benedictione etiam Natura ipsa mutatur. & Natura panis mutatur, non ut substantia intereat, sed ut in sacramentum corporis Christi mutetur, sic enim explicat seipsum Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 4. Vides quam operatorius sit sermo Christi: si ergò tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse, quæ non erant (in creatione) quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur. Nota, ut sint quæ erant, scilicet ratione substantiæ, & in aliud commutentur sc: ratione usus sacramentalis. Lanfrancus hoc testimonium non potuit aliter eludere, quam quòd dixit, verba illa non reperiri in Ambrosio, sed, quia hoc non consistit (cum etiam in Jure Canonico allegentur) Petrus Sotus dicit, quod maneat, scilicet in aliud mutata, sed Ambrosius expressè dicit, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur. Bellarminus sic conatur elabi, ut sint extrinsecus quæ erant, non autem intrinsecus, sed id exemplo, quod Ambrosius ibid. subjungit refellitur. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura. Posteaquam consecratus es (per baptismum) nova creatura esse cœpisti, Vis scire, quam nova creatura? omnis, inquit, in Christo nova creatura. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit & mutat, quando vult, instituta Naturæ. Ergo panis & vinum in S. cæna non substantia sed qualitate mutantur, non secus ac nos in baptismo qualitate non substantia: proinde, quod dicit Ambrosius, Naturam mutari per benedictionem, per id exponendum est, quod hoc loco dicit, sermonem Christi mutare instituta Naturæ: panis per Naturam ad vitam corporis

poris institutus est : sermo Christi mutat hoc institutū & efficit corporis Domini sacramentum. Gregor. Nysseni verba in orat. magna catechet. c. 37. sanctificatum panem in DEI Verbi corpus credimus immutari, eodē modo interpretamur. In orat. de S. baptism. seipsum satis explicat. Ne contempnas divinum lavacrum, neq; id tanquam commune propter usum aquæ parvi facias & levi momento ducas, nam id, quod operatur, magnū est, & ab illo mirabiles existunt effectus. Nam & altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est Natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur & pavimenta exornantur, sed quoniam DEI cultui consecratum atq; dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, &c. Panis item, panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi & dicitur & est, eodem modo & vinum. Postea: Eadem verbi vis sacerdotem augustum & honorandum facit, novitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Collige. Ut benedictio non tollit substantiam aquæ, altaris, aut sacerdotis, ita nec panis in Eucharistia. Gaudentius tract. 2. in Exod. Dominus de pane efficit proprium corpus: **R**ur cur ergò Thomas p. 3. q. 75. art. 8. Non potest propriè dici, quod de pane fiat corpus Christi. Gaudentius Ambrosii coætanus fuit, dictum ergò ejus ex Ambrosio explicamus, ut sint quæ erant & in aliud commutentur: imò ipse Gaudentius sui ipsius interpres optimus, sic n. ibid. In hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortuus est, & idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis & vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus.

Chrysoft. hom. 83. in Matth. mutari panem. hom. de Euch. mysteria consumuntur corporis substantiâ. **R** Bellarm. alibi sæpè contendit autorem illius in Matthæum operis non esse Chrysoftomum. Dicimus & nos mutari panem, sed ratione usus. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 152. monet, non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primū ad aures auditorum perveniunt, multa n: per hyperbolen crebrò enunciant & inculcant vel occasione locorum, personarum, temporum adducti vel affectionum imperu vel orationis cursu rapti, hoc interdum Chrysoftomo contingere concludit. Idem Chrysoft. hom. 83. in Matth. comparat panem Eucharistiæ cum baptismatis aqua, at in baptismo nulla fit transsubstantiatio, concludit tandem: Non sunt humanæ virtutis hæc opera, ministrorum nos ordinem tenemus, qui v. hæc sanctificat & transmutat, *ὁ μετανοῦν δάζων* (præparat, transinstrumentat propriè id est Spiritualium rerum organa facit,) ipse est. August. in serm. quem citat Beda 1. Cor. 10. Panis fit corpus Christi. serm. 28. de verbis. Dom. Ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus Domini, **R**. Panis fit corpus Christi scilicet sacramentaliter, ita ut accepto & manducato pane, manducetur corpus Christi. Alterum Augustini dictum si absolutè accipias, repugnat Apostolo,
D 3 qui

qui post consecrationem vocat panem, limitatè ergò accipiendum, non amplius dicitur nudus & communis panis. lib. 3. contra Maximin. c. 22. Hæc sacramenta sunt, in quib. non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia & aliud significantia. Nota, si symbola sacramentorum perpetuò id sunt quod erant, licet aliud ostendant, utiq; non evanescent. Yvo Carnutenſis in Ep. ad Heimericum ex August. serm. ad Neoph. Accipite in pane, quod pependit in cruce, accipite in calice, quod manavit de Christi latere. Cyrillus Alexandr. in Epist. ad Calosyrium. Oblata convertit Deus in veritatem propriæ carnis, & non mutatione substantiæ sed usus: ut jam non dicamus Epistolam illam in operibus Cyrilli non inveniri, Thomas in catena dictum citat. In ead. Epistola dicitur. Decebat Christum quodammodo corporibus nostris uniri per sacram ejus carnem & preciosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificativa in pane & vino. In Johan. lib. 4. cap. 14. Credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Eusebius Emiff. serm. de corp. Dom. conversionem panis & vini agnoscit, agnoscimus & nos, num v. à genere ad speciem rectè proceditur? Est in cæna panis conversio Ergò substantialis. Ibid. benedici verbis cælestibus, & invocatione summi Numinis consecrari dicuntur, non autem transsubstantiari: adde quod Bell. fatetur incertū esse, an Eusebius illius sermonis autor: alii Faustum Rhegiensem, alii Cæsariū autorem ejus esse volunt, quorum uterq; annis ducentis posterior est: homil. 5. de Paschate sic loquitur: Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, sed statim se explicat: Ut tibi novum & impossibile non debeat videri, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, te ipsum qui jam in Christo regeneratus es interroga: dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutaria, intrinsecus mortuus exulabas, subitò initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis innovatus (baptismi) in corpus Ecclesiæ non vivendo sed credendo transiisti, &c. Ergò elementa in Eucharistia commutantur, sicut nos in baptismo, non substantia sed qualitate. Remigius I. Cor. 10. panis transit in corpus Christi: & adde explicationem Gelasii & Theodoretii, transit in divinam substantiam, permanet tamen in suæ proprietate naturæ. Gregor. Magn. dixit, quod Conditor panem & vinum in carnem & sanguinem sui converterit & Paulus Diaconus id refert, in operibus Gregorii non invenitur: Idem Gregor. lib. 4. Dial. c. 58. Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum chorus adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, &c. audis sociationem & conjunctionem rei terrenæ ac cælestis, non transsubstantiationem. Bellar. repetit suam cramben: Conversio est, Ergò transsubstantiatio. Gregor. in Registro. tam azymum quam fermentatum dum sumimus,
unum

unum corpus Domini nostri Servatoris efficitur. panis azymus & nuda accidentia certè non sunt *ἰσθδυναμῆντα*. Beda serm. de Epiph. panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis ejus infallibili Spirit⁹ sanctificatione transfertur. & magis pro nostra sententia id facit & suppeditat explicationem aliis Patrum dictis addendā, sc: quando dicunt panem converti in corpus Christi, id sic intelligendum, quod convertatur in sacramentum corporis Domini. Damasceni & Theophylacti temporibus magna doctrinæ inclinatio fieri cæperat. Interim tamen lib. 4. de orth. fide. c. 14. Damasc. retinet comparationem Eucharistiæ cum baptismo. Quemadmodum in baptisate, quia consuetudo hominibus est aqua lavari, & oleo ungi, conjunxit oleo & aquæ gratiam Spiritus sancti & fecit illud lavacrum regenerationis: Hunc in modum, quia mos hominibus panem manducare & vinum bibere, conjunxit his suam divinitatem & fecit hoc corpus suum & sanguinem suum, ut per asfucta & quæ sunt secundum Naturam, in iis quæ sunt supra Naturam collocemur. Collige, ut aqua & oleum non amittunt substantiam, sic nec panis. Ibid. Carbonem vidit Esaias, carbo autem simplex non est, sed unitus igni: sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati, at carbonis substantia manet, Ergò & panis, si procedit comparatio. Theophyl. super 6. Joh. transformatur panis in corpus Christi: & sed ipse Lombard. 4. sent. dist. 11. distinguit inter conversionem formalem & substantialem, Ergò neq; hîc ad gustum Pontificiorum loquitur Theophylactus. Alius locus est Theoph. quem Bell: omisit, ubi vocabulum transelementationis usurpat super 14. Marci, sed explicamus eum ex vulgato illo dicto Augustini: accedat verbum ad Elementum & fit sacramentum. Ergò illa transelementatio nihil aliud est quàm Elementorū ad sacramentum destinatio: super Joh. 6. emollit vocis asperitatem per particulam *ἠσπερ*. De aliorum sententiis, quos Bellarm. post illam ætatem recenset, non adeò sumus solliciti, & tandem ad alia progrediendum est.

XXIV. Terciam argumentorū classẽ petit Bellarm. cap. 21. ex definitione & consensu Ecclesiæ ab annis quingentis: Sic ergò procedit. In sex Conciliis ante hoc nostrum seculum fuit definita transsubstantiationis veritas sub anathemate: at fieri nequit, ut Ecclesia universa tot seculis in gravissimo errore fuerit: deinde hoc ipso tempore floruerunt sanctissimi viri, vitæ innocentia, miraculis & aliis divinis donis clarissimi, quos nulla admittit ratio, ut Deo fuerint amicissimi & in fide erraverint. & 1. quid illis etiam seculis de transsubstantiatione multi senserint, patet ex superioribus. 2. atq; utinam hic unus Ecclesiæ Romanæ inveteratus error sit. 3. quod & quomodo Ecclesia errare possit, alio loco explicandum. 4. nulla Conciliorum decreta, nulla miracula, nulla Pontificum edicta scripturæ præjudicare possunt, 5. etiam sancti viri super fundamentum ædificant fœnum & stipulam, ideoq; in nullius hominis etiam sanctis

sanctissimi autoritate fides conquietere debet. Gal. 1. v. 8. Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Producit deinde Bellarm. sex Concilia. Primum est Concilium Romanum sub Nicolao II. Anno 1059. quod Berengarium coegit abjurare suam hæresin c. Ego Berengarius de consecr. dist. 2. & Glossa huic capitulo ascripta, nisi sanè intelligas verba Berengarii, in majorem incidis hæresin, quam ipse fuerit. Verba hujus palinodix ab Humberto quodam Germano sunt descripta, homine inerudito & insulso, dicitur in illo cap. ipsum verum Christi corpus tractari & frangi manibus Sacerdotum, & fidelium dentibus atteri. Bellarm. interpretatur, non nudum signum, sed signum habens realiter conjunctum Christi corpus ibi præsens existens frangi & teri, non tamen in se, sed in signo: sed verba Concilii plus habent, ideoq; Rossensis lib. 2. contra Oecolamp. dicit, quia Berengarius in alterum latus nimis exorbitasset, ideo Concilium plus æquo in alterum nunc trahi. Adde, quod ex ipsis Concilii verbis transsubstantiationem non possit probare Bellarm. ideo confugit ad scripta illorum, qui tùm temporis floruerunt, Lanfranci, Guitmundi & Anselmi: at si vel maximè illi docerent transsubstantiationem: nihil tamen aliud, quam suam proponerent sententiam: propositum a. erat Bellarmino, ostendere, quod sub anathemate in Conciliis stabilita sit transsubstantiatio.

Alterum Concilium, quod profert Bellarm. est itidem Romanum sub Gregorio VII. Anno 1079. sed Concilium illud magni nominis nõ est, nec in eo sub anathemate stabilita transsubstantiatio. Gregorius ille fuit necromanticus, cælibatum sacerdotum præcipiendo, multis flagitiis fenestram aperuit, Rom. Imp. seditionibus & bellis civilibus implevit, tandem etiam à Brixiana Synodo sede Pontificia dejectus.

Tertium Concilium est Lateranense sub Innocentio III. Anno 1215. in quo non negamus stabilitum transsubstantiationis dogma, sed quærimus quo jure? Idem Innocentius introduxit auricularem confessionem, Eucharistiæ in ciborio custodiendæ legem & multos alios abusos. Quartum Concilium est Romanum generale Anno 1413, ejus decretum contra Wiclefum ex Cochlæo recitat Bell. sed Cochlæi fides apud nos merito dubia est. Quintum est Concilium Constantiense Anno 1414. Sed idem Concilium prohibet populum sub utraq; specie communicare contra Christi institutionem & primitivæ Ecclesiæ consuetudinem. sess. 19. præcipit, fidem non esse hæreticis servandam. In eodem Concilio definitum est, quod Concilium sit supra Papam, quod Bell. non concedit. Quintum est Concilium Florentinum Anno 1439. ubi Bell. acriter invehitur in Chemnicium & Martyrem, atq; asserit nunquam fuisse inter Græcos & Latinos disceptatum de transsubstantiatione, sed repugnat ipsis Concilii actis. Sic enim sess. ult. Eugenius 4. Pont. Græcos Episcopos affatur, ut habetur tom. 3. Concil. p. 474 ed. Colon. In præcipua quæstione, de qua vehementer ambigebamus (de processione Spiritus sancti) ita convenimus,

nimus, ut nihil amplius de ea dicere debeamus. Porro autem operæ præ-
 cium est, ut & de purgatorio igne, & de summi Pontificis principatu, &
 de azymo & fermentato pane, de divina deniq; panis transubstantiatio-
 ne agamus, ut omni ex parte conjunctio nostra sit absoluta, ita ut nulla
 inter nos controversia in posterum relinquatur. Ibid. Urgente Pontifi-
 ce, ut de divina panis transmutatione, quæ quidem quarta quæstio fuit,
 in Synodo ageretur, Græci dixerunt, se sine totius Orientalis Ecclesiæ
 autoritate, quæstionem aliam tractare non posse. pag. 475. Hæc Græci,
 nolentes tamen consentiente Imperatore, ut de alia quæstione, præter il-
 lam de Spiritus Sancti processione, in unionis literis ulla mentio fieret,
 contendente summo Pontifice, ut etiam de reliquis ageretur, exceptâ il-
 lâ de panis transmutatione, ut perfectissima fieret unio. Provocat Bell.
 ad instructionem Armenorum, in qua disertis verbis ponitur transub-
 stantiatio: & in eadem instructione dicitur pag. 506. ipsorum verborum
 Salvatoris virtute substantia panis in corpus Christi & substantia vini in
 sanguinem convertuntur: at Græci tunc, non secus ac hodie, solis illis
 verbis consecrationem non adscribebant, sed putabant necessariò ad-
 jungendum: & fac panem hunc honorabile corpus Christi tui, quod au-
 tem in calice isto est, honorabilem sanguinem Christi tui, ea sancto tuo
 Spiritu transmutate, quomodo ergò Græci in hanc formulam consentire
 potuerunt? Ipsum decretum nomine Eugenii 4. inscribitur: Eugenius
 Episcopus, servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam, &c. adde,
 decretum de Armenis datum esse anno 1439. decimo Calendas Decembris
 absentibus jam Græcis Patribus, qui eodem anno pridie nonas Julii sub-
 signata unione ilico discesserant, quod frustra negat Bellarm. Senten-
 tiam Græcorum Patrum quod attinet, de illa superius aliquid diximus,
 hac vice id solùm repetimus, *μετουσίως* vocem apud Græcos Patres
 non significare transubstantiationem, ut volunt Pontificii, sed commu-
 nicationem, participationem ut ex Asconio Budæus refert. Ne dubites,
 exempla accipe. Euseb. de demonst. Evang. lib. 8. p. 241. edit. Græc. Ijs
 qui ex hominibus ad eum virtutis gradum pervenerunt, quem Natura
 mortalis contingere potest, satis superq; fuerit, si quando in *μετοχήν ἢ*
μερίσιν partem & communicationem quãdam (ut reddidit Donatus
 Veronensis) assumpti ejus, qui dixit: Sancti eritis, quoniam sanctus ego
 Dominus. In Liturgia, quæ Jacobo tribuitur: Largitus es nobis Domi-
 ne Deus sanctificationem *ἐν τῇ μετουσίᾳ*, interp. in perceptione
 sanctissimi corporis tui. Pachymeres in Liturgia Dionysii c. 3. Hierach.
 p. 151. Primum assumit & postea distribuit, quia oportet primum *ἐν με-*
τουσίᾳ γενέσθαι in participatione esse, participes fieri & repleri bo-
 nis &c. Hodierna Ecclesia Græca in quibusdam capitibus à Romana
 dissentit, in multis adhuc consentit, vide lib. Chytræi de statu Eccle-
 Oriental.

XXV. Deniq; quartam argumentorum classem c. 22. petit Bell. ex convenientia rationis. & non ex iudicio rationis, sed ex scripturæ norma de articulis fidei statuendum. Mens in consilio valet, in certamine dextra, In Sophia ratio, in religione fides. Videamus tamen illas congruentias. Primò, inquit Bellarm. convenientius fuit, ut solum Christi corpus ad accidentia panis ordinem haberet & illa soli Christi corpori servirent. & fundamentum hujus speculationis consistit in illis disputationibus Scholasticorum, quòd corpus Domini maneat sub accidentibus panis ad eum modum, quò substantia panis manet sub accidentibus suis exceptâ informatione, & quòd ex Natura rei moveatur ad motum accidentium & desinat esse sacramentaliter ad illorù accidentium destinationem, &c. Sed hæc sunt somnia otiosorum hominum. Panis Eucharistici, secundum Apostolum, officium est, ut sit *σῶμα* corporis Christi, ad id non requiritur, ut accidentia primariò habeant ordinem ad corpus Christi, non autem ad panem. Bellarminus absurdum existimat, si duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia: sed an non magis absurdum, accidentia panis subsistere intereunte subjecto? prius faciliùs concedet ratio, quàm posterior. Secundò, periculum esset, ne simpliciores adorarent panem. & num verò nullum periculum est, ne accidentia adorent? Christum adoramus, qui est hujus cœlestis convivii hospes, atq; ipse sanctum suum corpus ac pretiosum suum sanguinem nobis distribuit. Transubstantiationem ex adoratione panis probare, est lutum luto purgare, errorem errore cumulare. Biel. lect. 49. in Can. Quia non potest esse evidens certitudo, neq; celebranti, neq; populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi propter defectum aliquem impediens & contingere potentem, ut quòd fortè celebrans non est sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire se fore baptisatum, aut legitime ordinatum: similiter propter defectum alicujus necessariò requisiti ad consecrandum, utpote debitæ intentionis, aut errorem commissum in forma vel in materia, & multò minus circumstantes scire possunt infallibiliter sub hostia fore Christum, idè adoratio fieri debet sub conditione habituali tacita vel actuali expressa, tali scilicet, si servata sint omnia ad consecrationem necessaria. Tertiò, non videtur rationi consentaneum, ut maneat simul cibus mentis & ventris, & imò verò analogia sacramentalis meliùs constat: Quamvis enim primarium panis benedicti officium sit, esse organum & *ὄργανον* corporis Christi, nihil tamen impedit, quò minus cum Augustino & aliis dicamus, ratione usus panem secundariò hanc habere analogiam ad corpus Christi, ut, sicut panis nutrit corpus, ita corpus novum hominem. Quia tamen non est primarium officium panis, significare, idè juxta Canonem Nicænum non multum sumimus, sed parum. Contradicit autem sibi Bell. Hoc in loco dicit, non manere cibus ventris & tamen c. 23. dicit accidentia nutrire. Quartò, sequeretur non posse corpus Domini sumi, quin solveretur jejunium.

nium. & quæ verò hæc fuerit absurditas? Si non potest corpus Domini ritè sumi nisi à jejunis, ergò Christus post esum agni paschalis non rectè instituisse Eucharistiam, ergò peccarunt Apostoli, qui postquam cœnassent, corpus Domini sumerunt. Vide August. Epist. 118. ad Januar. cap. 6. & 7. Et de transubstantiatione hætenus.

CAP. II. Contra communionem sub una specie.

1. Credimus, docemus & confitemur, legitimam Cœnæ Domini celebrationem non consistere in sola manducatione benedicti panis, nec in sola bibitione benedicti poculi, sed utramq; ad integritatem Sacramenti requiri contendimus, manducationem benedicti panis & bibitionem benedicti poculi. Nitimur a: his fundamentis.

2. Arg. I. Quo modo Christus instituit sacram cœnam, & eam celebrari mandavit, eodem modo Christiani quovis tempore eam celebrare debent, siquidem unus Christus voce cœlitus delatâ audiendus nobis commendatus, Matth. 3. v. 17. & oves Christi vocem ejus audiunt, Johan. 10. v. 27.

Atqui Christus sacram cœnam instituit & celebrari mandavit, non solâ manducatione benedicti panis, nec solâ bibitione benedicti poculi, sed utrâq; conjunctâ. Matth. 26. v. 26. 28. Marc. 14. v. 22. 23. 24. Luc. 22. v. 19. 20. 1. Corint. 11. v. 23. 24. 25. ubi in manducatione sacramentali connectuntur panis & corpus Christi, non autem panis & sanguis Christi: in bibitione sacramentali connectuntur vinum & sanguis, non a: vinum & corpus Christi, inde Paulus 1. Cor. 10. v. 16. panem vocat *κινω-
νίον* corporis, calicem appellat *κινωνίον* sanguinis Christi. Evangelista Lucas in descriptione partis alterius addit vocem *ὡσούτως*, similiter: quòd sc. pari modo Christus jusserit benedictum vinum bibere, quomodo jusserat benedictum panem manducare. Apud Matthæum additur particula Universalis in parte secunda: Bibite ex hoc OMNES. Et Christus utriq; parti addidit præceptum, *HO C FACITE*.

3. Excipit Bellarm. lib. 4. de Euchar. c. 25. hæc verba dici solis Apostolis, non posse referri ad omnes omninò homines, aut ad omnes Christianos, aut ad omnes fideles adultos. &. Apostoli in prima illa cœna vicem gerébant omnium eorum, quibus cœna instituta est, igitur mandatum Christi loquitur de illis omnibus, qui ex Christi mandato comedérant benedictum panem. Sic ergò habet nostrum argumentum. Quos-
cunq; Christus in sacra sua cœna jubet edere, eos ipsos, omnes pariter, nullo excepto, jubet etiam bibere. At Christus jubet Apostolos edere, qui tum temporis omnes hujus cœlestis convivii hospites futuros designabant. Ergò Apostolos & omnes per Apostolos designatos jubet etiam bibere. Si velint excipere, Apostolos designasse solos Sacerdotes,

Resp. illos designabant Apostoli, quorum officium & munus repræsentabant. Atqui non sacerdotum, quatenus talium, sed accedentium ad sacram cœnam officium ac vices repræsentabant. Sacerdotum (id est: secundum phrasin Evangelicam, Ecclesiæ ministrorum) quatenus talium, officium est distribuere panem benedictum & vinum benedictum, quas partes Christus tùm administrabat. Vicissim, si hæc ad solos Apostolos & Ecclesiæ ministros pertinent, quarimus, ubi ergò pro reliquis Christianis instituta cœna? Si velint dicere, in diversorio Emahuntico, urgebimus, ut substantialia cœnæ in descriptione convivii illius nobis ostendant.

4. Dn. Lutherus sic argumentatur: Iisdem dictum est, Manducate, quibus dictum, bibite. Vel igitur totum Sacramentum datum est solis presbyteris, vel simul etiam Laicis. Si Laicis etiam, Ergò omnibus dictum est, Manducate & bibite: Si solis presbyteris, Ergò non licet Laicis dare unam partem. Excipit Bell. etsi Christus non dederit panem Laicis, tamen posse à nobis dari, cum nusquam sit prohibitum. R. firmæ sunt hæc consequentiæ, Si solis Apostolis & in illorum persona solis Ecclesiæ ministris dictum Bibite, solis etiam Apostolis & in illorum persona solis Ecclesiæ ministris dictum erit, Manducate, quia per vocem *ἑσθίτω* hæc conjunguntur. Si Apostoli solos Ecclesiæ ministros repræsentarunt, Ergò etiam illis solis dictum, Manducate. Neq; impedit, quod Christus nusquam prohibuerit Laicis dare benedictum panem; quarimus enim ex Pontificiis, quis licentiam eam ipsis concesserit, ut solum dent Laicis benedictum panem & non etiam benedictum vinum? Cur illi sejungunt atq; separant ea, quæ conjunxit Christus?

5. Etiam hoc erat Lutheri argumentum. Pro quorum peccatis Christi sanguis effusus, illis etiam in cœna non est denegandus. Atqui etiam pro Laicis effusus est. Excipit Bell. hac etiam ratione Turcis, Judæis & impiis foret dandus, R. propositio nostra non est simpliciter universalis, sed dicimus omnib. hujus cœlestis convivii hospitibus dandū esse Christi sanguinem, pro quibus etiam fusus est. Turcæ, Judæi, & impii quamdiu tales sunt & se tales esse publicè profitentur, non sunt hospites hujus convivii, quia sacramenta sunt bona Ecclesiæ propria, neq; projiciendæ sunt margaritæ porcis. Referendus hûc est locus Cypriani lib. i. de lapsis. Non denegandus populo Christiano Domini sui sanguis, pro cuius confessione sanguinem suum effundere jubetur.

6. Dn. Philippus ex 1. Cor. ii. probat, præceptum Domini, Bibite ex hoc omnes, ad Laicos etiam spectare, siquidem toti Ecclesiæ Corinthiorum Apostolis verba cœnæ præscribit. Excipit Bell. Ibi solum ostendi, quòd licita sit communio sub utraq; specie, non autem quòd necessaria. R. sed ne sic quidem Pontificii obsequuntur Apostolo, siquidem hodiè minimè liberam sacræ cœnæ sub utraq; specie participationem Laicis relinquunt. Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. Sancta mater Ecclesia, agnoscens
suam

suam in administratione sacramentorum autoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusq; speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissimè jam mutatâ illâ consuetudine gravib. & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ autoritate pro libito mutare non licet. Cumq; inter postulata Regum & Principum Concilio Tridentino proposita, etiam calicis usus esset, factum est hac de re decretum & publicatum sessione VI. in quo integrum hoc negocium ad Papam defertur. Greg. de Valent. tract. de Missa pag. 95. negat, Laicis dari posse calicem juxta Christi institutionem, propter contrariam Ecclesiæ dispositionem. Vides ergò, quod secundum ipsum Bellarminum ex institutione Christi liberum est, id per Tyrannidem Papæ liberum non esse amplius. Deindè Apostolus in controversiis apud Corinthios de cœna excitatis ad Christi institutionem eos revocat, & sic ostendit omnium de cœna controversiarum decisionem æstimandam ex ipsa institutione: ostendit ad Laicos etiam pertinere verba cœnæ, & per consequens ad Laicos communicantes etiam pertinere, quod dictum est à Christo: Accipite, bibite. An verò æquè liberum est servare Christi institutionem, & ab ea recedere? Apostolus semper in illo capite conjungit manducationem & bibitionem. v. 26. 27. 28. 29. Sic ergò argumentamur. Mandatum illud Christi, Bibite, aut respicit solos Ecclesiæ ministros, & tùm nefas est ullum hominem in sacra cœna bibere, qui non sit Ecclesiæ minister, sive ut Pontificii loquuntur, Sacerdos: aut respicit omnes communicantes Christianos, & tùm sine transgressione præcepti divini bibitio benedicti poculi omitti nequit.

7. Dominus Chemnicus urget hoc argumentum. Jubet Christus, ut Apostoli hoc faciant, quod ipse fecit. Atqui ipse tria fecit, accepit, benedixit & distribuit omnibus communicantibus utramq; speciem. Idem ergò Apostolos, & fideles eorum successores facere æquum est. Bell. excipit, Chemnicium falsò tribuere Concilio Tridentino, quòd statuat hæc duo solùm, accipite, edite, pertinere ad Laicos, tertium illud, Bibite, non pertinere, &c. Si ergò fatetur, etiam Laicis dictum, Bibite, dispositio Concilii erit contra præceptum Christi: Vicissim, si concilium statuit, liberum esse Laicis usum calicis, Ergò re ipsa statuit præceptum de bibendo non pertinere ad Laicos. Pergit Bell. & addit D. Lucam præceptum Domini, Hoc facite, post datum Sacramentum sub specie panis, post datum calicem non repetivisse, &c. Paulus I. Cor. II. v. 25. ipsi calici subjungit, Quotiescunq; biberitis, hoc facite in mei commemorationem. Nec valet argutia Pistorii, qui ex *αεσδιορισμῶ*, quotiescunq; biberitis, colligit Christianos non semper calicè, sicut panem, usurpaturos, sed tamen quotiescunq; biberent, id eos facere debere in commemorationem Christi, quia v. 26. idem *αεσδιορισμὸς* additur manduca-

tionem, quotiescunq; manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciatum. Reperat Bell. sua verba ex l. 4. de Euch. c. 16. Lucas illud, Hoc facite, retulit ad actiones benedicendi & distribuendi, quas expresserat: Postea: dicat aliquis, videtur Paulus 1. Cor. 11. restringere illud, hoc facite, ad actionem manducandi & bibendi: respondet: non restringit Apostolus, sed exemplum ponit in una actione, quod etiam facere potuisset de aliis duabus, quare vera sunt verba Pauli, sed non pugnant cum verbis Lucae, magis universalibus.

8. Urgemus & hoc. Traditio Apostolica omnes obligat. Atqui Paulus tradidit omnibus, utramq; speciem esse sumendam. Excipit Bell. Paulum solum tradidisse, non autem praecipisse, & tradidit Apostolus id, quod à Domino acceperat 1. Cor. 11. v. 23. atqui ab illa *traditio* recedere Christianis integrum non est. Et quam effrenis audacia est, quod Bell. lib. 4. de verbo DEI ex Concilio Tridentino disputat, traditiones suas Ecclesiasticas pari pietatis affectu & reverentia cum libris V. & N. T. suscipiendas, & tam leviter interim sentiat, de traditione hac indubitato Apostolica? At, inquit Bell. Apostolus solum tradidit historiam de institutione cœnæ, non autem præceptum de communione sub utraq; specie: Resp. illa ipsa historica repetitio institutionis ostendit, Christum eam formam atq; modo cœnam instituisse, ut vi illius institutionis ad cœnæ integritatem & manducatio & bibitio requiratur: Sic ergo plus est, quando Paulus dicit, tradidi, quam si diceret præcepi. Præterea Apostolus scribit toti Ecclesiae DEI, quæ est Corinthi, sanctificatis in CHRISTO JESU, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri JESU CHRISTI in omni loco. 1. Cor. 1. v. 2. ideoq; ad omnes hanc cœnæ institutionem pertinere ostendit, omnes igitur eodem modo cœnam administrare & participare debent, quo modo administravit Christus & participarunt Apostoli. Frivola est exceptio Bellarmini, in eadem Epistola dici, quod audiatur inter Corinthios fornicatio, cum v. id non pertineat ad omnes Corinthios, Ergo nec institutionis verba: ratio siquidem est longè diversissima, Apostolus non accusat in genere omnes Corinthios scortationis; sed *inter eos* audiri scortationem dicit, quæ enunciatio particularitatem manifestè præ se fert: contra totus contextus capituli undecimi ostendit, ad Laicos etiam pertinere, quæ ibidem de cœna traduntur. Expende v. 20. 22. 23. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. qui omnes non possunt, nisi per insignem absurditatem de solis Sacerdotibus intelligi.

9. Arg. II. Communicatio sub una specie est contra praxin Apostolicam. Quando enim Christus primam administravit cœnam, disertè addit Marcus c. 14. v. 23. quod biberint ex poculo omnes. Ipsi etiam semper hoc observarunt, id quod requirit fidelitas & obœdientia erga Christi mandatum: absit enim ut dicamus, eos in re tam ardua discessisse à præcepto sui Magistri.

10. Arg. III. Nulla pars Testamenti morte testatoris Christi confirmata.

firmati sine sacrilegio abrogari potest. Gal. 3. v. 15. hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat, *Ἰνδιαιτάσεται*. Atqui usurpatio calicis est Testamenti, morte Christi confirmati certa & definita pars. E. sine sacrilegio abrogari nequit.

11. Arg. IV. Quicquid evertit unionem Sacramentalem approbandum non est. Communicatio Laicorum sub una specie, evertit unionem Sacramentalem, quæ est panis cum corpore, & vini cum sanguine Christi conjunctio distincta. Pontificiis verò est panis & cum corpore & cum sanguine Christi unio.

12. Arg. V. Quicquid adimit fidelibus firmam consolationem, quam petere debent ex Sacramentis, meritò improbandum. Mutilatio illa Cœnæ adimit fidelibus Laicis consolationem, quam petere possunt ac debent ex verbis Christi, calici adjunctis: Bibite ex hoc omnes, hic calix est N. T. in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: quibus verbis Filius Dei ostendit, fieri exhibitionem sanguinis sui in communione calicis, & hac exhibitione fieri obsignationem bonorum N. T. Dn. Lutherus pulcherrimè. Mandatum Christi in poculo comprehendit vinum; Vinum complectitur sanguinem Christi: sanguis Testamentum novum, quia est Novi Testamenti sanguis: Testamentum remissionem peccatorum. E. mutilatio illa cœnæ meritò improbanda.

13. Progrediamur ad alteram & quidem secundariam argumentorum classem, ex Patribus. Ignat. in Epist. ad Philad. Obsecro vos, ut unâ fide, unâ prædicatione, una Eucharistiâ utamini. Una enim est caro DOMINI nostri JESU CHRISTI, & unus illius sanguis, qui pro nobis omnibus distributus est, unus panis qui omnibus fractus, unum altare omni Ecclesiæ & unus Episcopus. Bell. provocat ad Codices Latinos, qui legunt, unus calix totius Ecclesiæ, nimirum hoc est fonte deserto consecrari rivulos: & si Laici planè removentur ab usu benedicti vini, quomodo unus totius Ecclesiæ calix? Solenne autem est Bell. tum ad hoc, tum ad alia Patrum testimonia respondere, exemplum solùm proponi, non præceptum, sed nobis sufficit hoc, quod sc: Patres institutionem cœnæ ita intellexerint, etiam populo Christiano benedictum vinum cum benedicto pane dandum. Clemens I. 2. Constit. c. 61. Postquam oblatum fuerit, accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus & preciosum sanguinem gradatim cum pudore ac timore. Dionys. quem volunt esse Areop. Hierarch. Eccl. c. 3. Pane, qui opertus erat & integer, aperto, & in multas partes fracto, & unico calice diviso inter omnes, quod unum est signis multiplicat (Pontifex sc:) Justin. Apol. 2. Præsides *ἀρχιερεῖς*, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atq; Ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ
actæ

acta sunt, panem vinum & aquam, τῷ εὐχαριστήν & ἄρτου καὶ
οἴνου καὶ ὕδατος & ad absentes perferunt: Porro alimentum hoc apud
nos appellatur Eucharistia. Tertull. ad uxorem lib. 2. pag. 616. ed.
Bas. loquens de muliere fidei, infidei nupta: de cujus manu desiderabit?
(panem sacramentalem) de cujus poculo participabit (vinum sacra-
mentale?) Origen. hom. 16. in Num. Dicant ergo nobis, quis est iste
populus, qui in usu habet sanguinem bibere? postea: Tu ergo es verus
populus Israël (auditores alloquitur) qui scis sanguinem bibere & uva
sanguinem illius, quæ est ex vera vite & illis palmitibus, quos Pater purgat,
haurire. Ne existimes de spirituali solum bibitione agi, sequitur: Bibe-
re autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed
& cum sermones ejus recipimus. Idem in divers. hom. 3. Quando san-
ctum cibum, illud incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & po-
culo fruere, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Do-
minus sub tectum tuum ingreditur. Cyprian. de cæna Dom. p. 389. No-
va est hujus sacramenti doctrina, & scholæ Evangelicæ hoc primum ma-
gisterium protulerunt, & doctore Christo primum hæc mundo innotuit
disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum Legis antiquæ
autoritas districtissimè interdicit. Ad Comel. Epist. 54. Quomodo do-
cemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum
fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? aut quomodo
ad Martyrij poculum idoneos faciemus, si non eos prius ad bibendum in
Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? Bell. il-
lud jus ex consuetudine deducit, cum potius ex institutione Christi pen-
deat. Idem Cypr. Epist. 56. Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad
quam fide incorrupta & virtute robusta parare se debent milites Christi,
considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut
possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. lib. 2. Epist. 3. Qui-
dam vel ignoranter vel simpliciter in calice Domini sanctificando & ple-
bi ministrando non hoc faciunt, quod Christus fecit & docuit.
Hilar. lib. 8. de Trin. de veritate carnis & sanguinis non est relictus am-
bigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostrâ verè
caro est & verè sanguis est: & hæc accepta atq; hausta efficiunt ut & nos
in Christo, & Christus in nobis sit. Ambros. lib. 5. de sacram. c. 3. ad po-
pulum de cæna loquens. Manducavi panem meum cum melle meo. Vi-
des quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit. Bibi
vinum meum cum lacte meo. Vide hujusmodi esse lætitiâ, quæ nulli-
us peccati sordibus polluat. Quotiescunq; enim bibis, remissionem
peccatorum accipis, & inebriaris in spiritu. super 1. Cor. 11. Testamentum
sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est, in cujus
typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ
nostræ percipimus. Hieron. super 3. Sophon. Sacerdotes, qui Eu-
charistia serviunt & sanguinem Domini populis ejus dividunt. super 1.
Cor. 11.

Cor. ii. Dominica cæna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta. Augustin in sent. Prosperi. Cùm frangitur hostia, dum sanguis de calice in ore fideiũ funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio designatur. In qq. in Levit. lib. 3. c. 57. A sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. ad Oros. in Dial. q. 65. Sanguis Abel significat sanguinem Christi, quo universa Ecclesia accepto dicit, Amen: Nam qualem clamorem faciat universa Ecclesia, dum potatur sanguine Christi & dicit Amen, ipse, si potes, considera. Basilius in Ethicis sub finem. Quid est proprium Christiani? ut mundetur ab omni inquinamento carnis & Spiritus in sanguine Christi, perficiatque sanctificationem in timore Dei & dilectione Christi &c. atq; ita edat corpus & bibat sanguinem Christi. Nazianz. orat. 2. de pasch. Submoto omni pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modò vitæ desiderio teneris. Cyrillus Hieros. catech. myst. 4. ad Catechumenos. Quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi bibamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis. Chrysost. hom. 18. in 1. Corinth. Interdum nec quicquam quidem interest inter Sacerdotem & eos, quibus præest. Veluti cùm tremenda mysteria percipienda sunt: æquè. n. omnes ad ea admittuntur, nõ quemadmodum in lege veteri alia Sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur. hom. de Euchar. tom. 5. p. 919. Reputate salutarem sanguinem, quasi è divino & impolluto latere effluere & ita approximantes labiis puris accipite. Theophyl. in 1. Cor. c. 11. Tremendus hic calix pari cunctis conditione est traditus. Remigii calici inscripti erant hi versus:

*Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
 Injecto æternus quem fudit vulnere Christus,
 Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.*

Greg. Magn. hom. de pasch. Quid sit sanguis agni, nõ jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumq; postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Liber Sacramentorum Gregorii: Dum dominicum corpus Sacerdos dat, dicat: corpus Domini nostri JESU Christi custodiat te ad vitam æternam, Amen. Accipiens dicat: panem cœlestem accipiam & nomen Domini invocabo. Item Sacerdos calicem dando, dicat: Sanguis Domini nostri JESU Christi custodiat te ad vitam æternam, accipiens dicat, Calicem salutaris accipiam. Beda in hom. hyem. de sanct. p. 446. Lavat nos Christus à peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cùm ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in sacramentum

F. car.



carnis & sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, sicq; corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur, sed fidelium ore suam sumitur ad salutem. Carolus M. lib. 4. de imag. c. 14. Corporis & sanguinis Christi mysterium quotidie à fidelibus sumitur in Sacramento. Paschasius de corpore & sanguine Domini c. 15. Ideò hic solus est, qui frangit hunc panem & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri quàm & reliqui credentes: Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti. Haymo in Apoc. In Ecclesia quotidie comedunt fideles Christi corpus, & sanguinem bibunt. super 1. Corinth. 10. Appellatur & ipse calix communicatio quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemq; sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se. Rupertus lib. 2. de div. off. c. 9. Panem & vinum Sacerdos in ora fidelium distribuit. Bernh. in serm. de cœna Dom. Christus pridie quam pateretur, discipulis suis hujus sacramenti formam præscripsit, efficaciam exhibuit, id est, fieri præcepit: formæ præscriptio in pane & in vino, &c. Græca Ecclesia adhuc hodie utriusq; speciei usum observat. Jerem. Patriarch. Constant. resp. 1. ad Theol. Wirteberg. *Φάτε εἶν, ὅτι μεταλαμβάνειν θεῶν καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν ἢ καλῶς λέγετε, οὐ γὰρ ἢ ἡμεῖς ἐκλεῖμεν τῶν φρικῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων.*
14. Ex ipsis adversariis testimonia proferre possumus. C. Comperimus dist. 2. de consecr. Comperimus, quòd quidam sumtã tantummodò Dominici corporis portione, à calice sacri cruoris abstinẽat, qui pcul dubio, quoniam nescio quã superstitione docentur obstringi, aut sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemq; mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. Bellarm. affert duas solutiones: prior est, quòd cap. loquatur de solis sacerdotibus sacrificantibus, qui alteram speciem tantum sumebant: & ex nullo teste probari potest, sacerdotes tum temporis utramq; speciem consecrassẽ, alteram tantum sumissẽ, si enim utramq; consecrabant, quid fiebat de altera? verba illa, ab integris arceantur, evidenter respiciunt sumentes, non autem distribuentes: præterea canon transgressoribus pœnam excommunicationis imponit, at Clerici peccantes solebant ab ordine deponi. Rectè ergò Lindanus lib. 4. panopl. Evangel. c. 56. p. 340. fatetur etiam ad Laicos pertinere. Cassander de com. sub utr. spec. f. 15. Quanquam antiquissimæ, quas manu scriptas vidi in eundem Canonem, Glossæ cum de conficientibus intelligunt, tamen eum sui adhuc temporis morem fuisse manifestè declarant, ut extra necessitatem Laici haud secus atq; sacerdotes integra Sacramenta perciperent. Ita enim una Glossa habet ad illud, aut integra, id est, integrè, sub utrâq; .n. specie Christus integrè sumitur: & hoc intelligo de conficiente. Nam infirmus vel sanus in necessitate sine vino corpus sumere potest. Postcà Cassander errorem istorum Glossatorum corrigit: Qui ad solos conficientes Gratianum vel ejus simu-
latores

latores & Glossatores secuti, hunc Canonem referebant, ab aliis eruditione præstantibus, qui temporum circumstantias & dictorum causas diligentius observarunt, aperte refelluntur. Posterior solutio Bellarmi est, quod contra Manichæos scriptus sit Canon & superstitio dicitur, non hæresis: non igitur de Manichæis sed de superstitiosis Christianis loquitur: præterea verba Canonis generalia sunt, cum non recipere integrum Sacramentum, qui corpus tantum sumit. Denique solutio hæc posterior evertit priorem, si n. loquitur canon de Manichæis, ergo non de solis sacerdotibus. c. Quia passus ead. dist. Vinum in multis racemis fuit, & modò unum est: vinum est in sua nativitate, calix post pressuram torcularis: & vos (neophyti: quia Canon transcriptus est ex August. serm. fer. 2. paschat. ad neoph.) post illa jejunia, post labores, post humilitatem & contritionem jam tanquam ad Christi calicem venistis, & ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis, simul n. hoc sumimus, simul bibimus. c. Cum omne ead. ex decreto Julii Papæ. Audivimus quosdam schismaticam ambitione detentos contra divinos ordines & Apostolicas institutiones intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, Et postea: Pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum commendavit & sanguinem, seorsim enim panis & seorsim calicis commendatio memoratur, &c. collige: Si repugnat institutioni Christi, panem calici intinctum populo dare, multò magis repugnat, populum à communionem calicis plane remove. Vide etiam Glossam in c. Peracta ibid. c. Cum frangitur dist. ead. Sanguis de calice in ora fidelium funditur. Panorm. super c. cum Martha de celebr. Miss. Communicantibus tantum datur Eucharistia, id est, sola hostia, quia recipiendo panem recipiunt corpus & sanguinem: sacerdos utitur duobus ad representandam passionem. Dicunt tamen Dd. quod non malum esset, si communicans etiam sumeret de sanguine. Lomb. 4. sent. dist. 11. lit. F. Quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? ut ostenderetur totam humanam Naturam assumisse, ut totam redimeret: valet enim ad tuitionem corporis & animæ, quod percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra offertur. Durand. lib. 4. ration. cap. 54. Solum hostiam recipiens non plenum sacramentaliter recipit sacramentum. Etsi n. in hostia consecrata Christi sanguis est, non tamen est ibi sacramentaliter, eò quod panis corpus, non sanguinem significat, vinum sanguinem significat & non corpus. Quia ergo sub altera tantum specie non est completum Sacramentum quoad sacramentum vel signum, debet sacramentum compleri, priusquam presbyter eo utitur. (At eadem est ratio de Laico) Alex. Alens. 4. sent. q. 53. membr. 1. Licet illa sanctio, quæ est in accipiendo sub una specie, sufficiat: illa tamen, quæ est sub duabus, est majoris meriti, tum ratione augmentationis, devotionis, tum ratione dilatationis actualis, tum ratione sumtionis completioris. super 4. sent.

q. 40. membr. 3. ar. 2. Totus Christus non continetur sub utraq; specie sacramentaliter, sed caro tantum sub specie panis, sanguis tantum sub specie vini: postea: sumtio sub utraq; specie, **QUEM MODUM SUMMENDI TRADIDIT DOMINUS**, est majoris efficaciae & complementi. Albertus Magnus 4. sent. dist. 8. ar. 13. Duplex est in hoc sacramento perfectio, Christi videlicet & ipsius Sacramenti, secundum quod venit in usum fidelium: priore modo dicit verum esse, Christum esse perfectum sub utraq; specie: secundo modo videri sibi falsum, quia non perfecte signetur & causetur usus fidelium & unitas corporis mystici, nisi sub duplici signo, ideoq; virtute Sacramenti utrumq; debere haberi. Thom. p. 3. q. 80. ar. 12. Ex parte ipsius sacramenti convenit, quod utrumque sumatur sc. panis & vinum, quia in utroq; consistit perfectio Sacramenti. super 1. Corinth. 11. Traditur hoc sacramentum sub duplici specie propter tria: Primò quidem propter ejus perfectionem, quia cum sit spiritualis refectio, debet habere spirituales cibum & spirituales potum. Nam & corporalis refectio non perficitur sine cibo & potu. Secundò propter ejus significationem. Est n. memoriale dominicæ passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus à corpore & ideo in hoc sacramento seorsim offertur sanguis à corpore. Tertiò propter hujus sacramenti effectum salutarem: valet enim ad salutem corporis & ideo offertur corpus, & valet ad salutem animæ, & ideo offertur sanguis. Richard. de media villa & Petrus de Tarantasia 4. sent. dist. 11. suo tempore sub utraq; specie cœnam distributam attestantur in insignioribus parœciis. Petrus de palude 4. sent. dist. 11. q. 2. refert in quibusdam monasteriis fuisse consuetum communicare sub utraq; specie. Guilielmus de Montelanduno 4. sent. dist. 11. q. 2. referente Cassandro in Liturg. p. 89. Qui recipit corpus, totam veritatem ejus recipit, licet non totum sacramentum: & ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto Sacramento. Bonavent. 4. sent. dist. 8. q. 2. Ex duobus signis unum perfectum resultat Sacramentum, cujus integritatis ratio dispositivè venit à natura, quia nec panis est per se plenè reficiens, nec vinum, sed utrumq;: & una plena refectio in Natura venit ex utroq;, & ita disposita sunt ad unam refectioem signandam: sed completivè venit ab institutione divina, quæ unâ institutione hæc duo signa ordinavit ad significandam unam perfectam refectioem, & ideo unum sacramentum ratione Naturæ & institutionis divinæ. Biel. 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 3. olim in quibusdam Ecclesiis id fuisse usitatum refert, ut sub utraq; specie Laici communicarent. Concil. Constant. sess. 13. licet Christus post cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraq; specie panis & vini venerabile Sacramentum, ac licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraq; specie, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas servavit &c. Nota quod fateantur Christi institutionem & primitivæ Ecclesiæ consuetudinem requirere utramq; speciem. Bellarm. frustra conatur effugere, quòd de tempore conficiendi ibi saltem

aga-

agatur, quia Patres illi ex uno alterum volunt inferre, hoc modo. Christus post cœnam Eucharistiæ Sacramentum instituit, quod tamen verus Ecclesia à jejunis celebrandum sanxit. E. licet Christus sacram cœnam sub utraq; specie discipulis tradiderit, tamen Ecclesia Laicos unâ tantum specie contentos esse jubere potest. Caietanus in 3. part. Summ. Aquin. Hujusmodi consuetudo perseveravit, non solum tempore Martyrum (quos Cyprianus Dominico poculo præconfortandos censuit) sed etiam tempore pacis Ecclesiæ, cum legamus factas non solum patinas, sed etiam calices ministeriales: quare n. ministeriales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant? Beat. Rhenan. in Tertull. de coron. milit. p. 41. Idem nuper reperit in primis Cartusiorum constitutionibus Conradus Pellicanus hominæ sanctitatis ac eruditionis, ubi prohibetur, ne quicquam preciosorum vasorum possideant, præter calicem argenteum & fistulam, qua Laici dominicum exorbeant sanguinem. Nicol. Cusanus Epist. 2. ad Bohem. concedit, quod olim sanctissimi viri utriusq; speciei sacramentum necessarium esse vi præcepti Christi & verbo & opere astruxerint. Georg. Cassand. in Epist. præfixa tractatui de com. sub utraq; specie testatur, quod major eruditorum Episcoporum, eaq; potior pars (in Concil. Trident.) in eam sententiam concors pedibus iverit, Laicis calicem esse concedendum. In consult. art. 22. Satis compertum est, Universalem Christi Ecclesiam in hunc usq; diem, Occidentalem verò seu Romanam mille amplius annis à Christo in solenni præsertim & ordinaria hujus Sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Græcorum, quàm Latinorum testimoniis manifestum est. Andreas Fricius lib. 4. de emend. Reip. Christ. c. 19. Separatim comestio nominatur, separatim bibitio ab illa Sapientia, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet: non enim hîc disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quæ convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum. Gerardus Lorichius de Missa. Sunt pseudocatholici, qui reformationem Ecclesiæ quoquo modo remorari non verentur. Hi, ne Laicis altera species restitueretur, nullis parcunt blasphemis: dicunt enim Christum solis Apostolis dixisse, Bibite ex hoc omnes. Atqui verba canonis habent: Accipite & manducate ex hoc omnes. Hic dicant, oro, num & hoc ad solos dictum sit Apostolos? Ergò Laicis & à specie panis abstinendum: Quod dicere, est hæresis & blasphemia pestilens & execrabilis: consequitur ergò, utrumq; verbum dictum esse ad omnem Ecclesiam.

15. Atq; hætenus nostram confirmavimus sententiã. Pontificiorum quæ sit de hoc doctrinæ Christianæ capite sententiã, patet ex Concil. Trident. sess. 21. c. 1. Sancta Synod⁹ declarat & docet, nullo divino præcepto Laicos & Clericos nõ conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum. Et postea. Sancta mater Ecclesia consuetudinem

sub altera specie communicandi approbavit & pro lege habendam decrevit. Bell. lib. 4. de Euch. fundamenta hujus decreti proponit. Cap. 21. totus Christus continetur in specie panis. E. sufficit unam speciem accipere. R. 1. nulla commodior est via ad tollendum totum Eucharistiæ Sacramentum. Quicumq; in Christum baptisati sunt, Christum induerunt. Gal. 3. v. 27. Christus per fidem habitat in cordibus credentium. Ephes. 3. v. 7. utiq; totus, absit enim ut Christum dividamus; Hinc jam promptè liceret juxta medium terminum Bellarmini subsumere; quorsum ergò Eucharistia? nisi Christi voluntatem & institutionem nostræ rationis cogitatis præferre velimus. 2. Rectè ergò Fricius admonet huic sapientiæ divinæ, quæ distinctè manducationem & bibitionem requirit, omnem sapientiam humanam cedere debere. 3. Si, quia totus Christus est sub una specie, propterea institutioni satisficit sola manducatione benedicti panis, cur sacerdotes utramq; sumunt? respondent, ratione sacrificij, sed hoc est, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν 4. Quòd in cœna edatur Christi corpus & bibatur ipsius sanguis, id pendet ex sola Christi institutione, unde sic argumentamur: Quæ est ratio benedictionis sacramentalis ea etiã est ratio præsentia sacramentalis: Atqui benedictio sacramentalis efficit ut panis sit κινωνία corporis & poculũ sanguinis Christi, non contra. Ergò etiã sacramentalis præsentia ea est ratio, ut cum pane corpus & in poculo sanguis Christi exhibeatur, non contra. Propositionis veritas manifesta est, quia præsentia sacramentalis fundamentum & causa est illa Christi institutio & benedictio, qua juxta Christi institutionem ad usum sacramentalem Symbola destinamus. 5. Confunduntur ergò præsentia naturalis, personalis & sacramentalis, unde sic argumentamur. Quæcunq; præsentia corporis & sanguinis Christi non est sacramentalis, ea hinc attendi non debet: Præsentia, quæ oritur ex concomitantia & ex unione personali, sacramentalis non est. E. hinc non attendenda. 6. Quòd Christus dicit in cœna bibi, illud non editur. Atqui dicit sanguinem suum mediante benedicto poculo bibi. E. is non editur, & per consequ. qui non accipiunt benedictum poculum, illi etiã non bibunt sanguinem Christi sacramentaliter. 7. Nec valet Sophisma. Si corpus Christi editur & non simul accipitur sanguis Christi, Ergò corpus Christi est exanguè & mortuum: somnia rationis non sunt opponenda expresso Dei verbo; non statuimus separationem sive dissolutionem Naturarum, vel sanguinis, vel animæ à Christi corpore, nec divulsionem λόγος à sua carne introducimus, sed juxta institutionem Christi urgemus sacramentalem manducationis & bibitionis distinctionem. Nec carent blasphemia, quæ Bell. hoc loco scribit. Apud hæreticos (intelligit nostros) non solum sumitur cadaver ipsorum opinione, sed etiã ipsi eorum ministri quoties cœnam faciunt, toties Christum reipsã occidunt, vel certè se occidere credunt. 8. Si verò ita liceret arguari in rebus divinis, an non ex hypothese Pontificiorum ita procedi posset? Panis convertitur aut in
corpus

corpus vivum aut in mortuum. Non in mortuum, faciente & probante hoc loco Bell. Ergò in vivum. Atqui corpus vivum non est sine sanguine, Ergò panis etiam convertitur in sanguinem, quod tamen negant Pontificii. 9. Ex dictis Durandi, & Bonaventuræ supra citatis apparet, etiam ipsos Scholasticos non concedere argumentationem Bellarmini. Videatur autem erudita totius hujus argumenti refutatio apud Dn. Luther. tom. 3. German. p. 528.

16. Altera Bell. ratio est, quia una species tam est integrum Sacramentum, quam ambæ. cap. 22. R. 1. ipsi Scholastici non concedunt hoc, ut vidimus supra. 2. panis & vini usus vel constituunt unum Sacramentum; vel duo; non posterius. Ergò prius, & per conf. usus calicis ad integritatem Sacramenti pertinet. 3. in specie panis, inquit Bell. signatur perfectè refectio animæ. R. primum officium panis & vini in sacra cœna non significare, sed esse medium & organum, per quod communicetur corpus & sanguis Christi, illa autem cõmunicatio secundũ Apostolũ ita est cõparata, ut panis sit *νομαρία* corporis, vinum *νομαρία* sanguinis Christi: deinde num plena refectio corporis humani absq; potu? Medici tradunt, & experientia testatur, siti gravius homines torqueri, quam fame: 4. Bell. dicit panem & vinum non esse partes essentielles & integrales hujus sacramenti R. essentia Eucharistiæ consistit in actione à Christo definita, Sicut etiam essentia Baptismi: actio illa in Eucharistia est panis benedicti manducatio & vini benedicti bibitio: Præterea sublatâ parte integrali principali, res ipsa non amplius manet integra, quomodo ergò sublato calicis usu integrum manet Eucharistiæ Sacramentum? 5. unionem fideiũ cum Christo & inter se optimè notari unâ specie, dicit Bellar. R. quare ergò Christus sub utraq; instituit? quare primitiva Ecclesia utramq; usurpavit? Quæ de efficientia sacramenti perfectè ab una specie promanante differit, nituntur falso fundamento concomitantia. 6. at, inquit Bell. ut sit sacramentum, nullo modo species una pendet ab altera, R. pars una nunquam est totum, neq; unquam una pars absolvit totum. Singulæ species sive Symbola in cœna sunt partes Eucharistiæ totius, nẽpè essentielles, terrenæ. E. singulæ species sive Symbola in sacra cœna non sunt ipsum totum, nempè integrum Eucharistiæ sacramentum. De figuris postea.

17. Tertia Bell. ratio proponitur c. 23. Non majorem utilitatem sumi ex communione sub utraq; specie, quam sub una. R. 1. Alensis p. 4. q. 53. membr. 1. Gaspar Cassalius lib. 2. de cœna c. 25. Georg. Cassander de comm. sub una spec. & ex parte Ruardus Tapperus Decan. Lovaniensis ex ipsis Pontificiis negant. 2. fundamentũ eorum omniũ, de quibus hinc Bell. disputat, est concomitantia, de qua superiũs. 3. Non potest sperari fructus ex Eucharistiæ sacramento, si contra institutionem Christi celebretur, atqui decedit aliquid ordinationi Christi per usum unius tantũ Symboli. 4. Bell. dicit sententiam nostram esse, quòd sacramenta non aliter

aliter profint, quàm significatione suâ, atq; inde format primam propositionem: Ejus fructus, quem Lutherani in sacramentis quærunt, non minus percipiunt, qui sub una specie communicant, quàm qui sub utraq; specie: sed injuriam nobis facit, contrarium planè dicimus, sc: sacramenta esse efficacia media & organa divinitus instituta, per q̄ bona Evangelii propria omnibus ritè utentibus exhibentur, obsignantur & applicantur. lib. 2. de sacr. cap. 2. sententiam nostrâ sic exponit, quòd sentiamus, non Sacramenta, sed fidem, quatenus à Sacramentis excitatur, justificare: &. fidem non opponimus Sacramentis, sed conjungimus tanquam subordinata. Verbum & Sacramenta sunt manus DEI offerens, fides ex parte nostri est manus apprehendens. 5. altera propositio Bellarmini est: ex qualibet specie percipi tantum ejus fructus, quem Catholici quærunt, quantum est ad salutem necessarium; fructum illum dicit esse infusionem gratiæ, &. principales sacræ cœnæ fines sunt obsignatio remissionis peccatorum & fidei confirmatio: promissio de remissione peccatorum notar ter addita calici: Hic est calix N. T. in meo sanguine qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Ut igitur illa promissio nobis applicetur, non abrogandus calicis usus: quæ etiam potest esse fidei confirmatio, si propter somnium concomitantia ab institutione Christi recedimus? Addit hîc Bell. axioma, quod Evangelio adversum est vel maximè: Quilibet gradus gratiæ (intelligit autem infusos habitus) sufficit ad implenda mandata, imò ad pellenda omnia peccata. 6. tertiam propositionem sic format Bell. Licet plus gratiæ & fructus ex utraq; specie quàm ex una tantùm caperetur, non propterea opus esset, vel expediret, ut omnes utramq; speciem sumerent: rationem petit ex periculo irreverentiæ, fieri enim non posset; quin sæpiùs effunderetur sanguis Domini. &. utiq; Christo tale aliquod periculum non potuit esse ignotum, & tamen sub utraq; specie instituit: de hoc periculo postea plura: Bellarminus hîc addit, quod parvulis non detur Eucharistia, propter irreverentiæ periculum, sed hæc est falsa causa, veram rationem petimus ex I. Cor. II. v. 28. quia probare se nondum possunt. 7. At inquit Bell. magis lucratur, qui, ut Ecclesiæ obediat, communicat sub una, quàm qui sub duabus sine ingenti obedientiæ fructu. &. idem vult dicere Bell. quod olim Ziglerus contra Waldenses scripsit. Nos unam tantùm speciem sub obedientia Romanæ Ecclesiæ manducamus, certi, quia ob hoc obsequium fidei vivemus in æternum: verùm hæc est cæca & præpostera obedientia: fidei obedientiam commendat nobis Scriptura, fides autem verbum respicit: vera Ecclesia adhæret verbis sui sponsi, si in sermone meo manseritis, verè discipuli mei eritis, dicit Salvator Johan. 8. v. 31. Dispositio de usu calicis intermittendo est contraria institutioni, ut fatetur Concilium Constantiense sess. 13. & Greg. Valentianus de Missa f. 95. quomodo ergò pro veræ Ecclesiæ dispositione acceptari potest? Et animadvertenda hîc est, præpostera disputandi ratio Pontificiis usitata. Quæritur an lex illa de communicatione Laicorum sub una tantùm specie sit
justa,

iusta, affirmat Bell. quia est lex Ecclesiæ, id est, Concilii Constantiensis & Tridentini, at de hoc ipso est quæstio, an Concilia illa rectè ita statuerint? 8. Pergit Bellar. si plus fructus afferret usurpatio utriusq; speciei, quàm unius sumtio, id oriretur vel ex symbolo vel ex re contenta: at ex neutro. R. panis est communicatio corporis, vinum est communicatio sanguinis Domini, qui ergò calicem non usurpant, de communicatione sacramentali sanguinis Domini certi esse non possunt. Urget Bell. fructum, qui percipitur ex illa obædientia erga decreta Ecclesiæ: rectiùs fecisset, si respexisset fructum, qui percipitur ex obædientia erga institutionem Christi. 9. argumentamur contra Bell. hoc modo. Si non plus fructus percipitur ex utraq; specie, quare Sacerdotes non sunt contenti unâ specie? Bellar. hîc mutat quadrata rotundis, & Andabatarum more pugnat: Dico, inquit, sumtionem Eucharistiæ sub specie panis gratiam conferre, sed eam gratiam in sumtionem utriusq; speciei, ut in unam causam esse referendam, quandoquidem ad unam refectioem utraq; species confert (sed si utraq; species est causa gratiæ sacramentalis, Ergò Laici communicantes sub una specie non fiunt participes gratiæ sacramentalis, quia ubi duæ causæ ad effectum producendum requiruntur, altera non agit sine altera) Posset etiam dici, (pergit Bell.) Eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam nisi totâ sumtione Eucharistiæ absolutâ, &c. Et postea. Sacerdotes non solùm non inutiliter sumunt utramq; speciem, quia utraq; species operatur, sed etiam quia ea sumtio, licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte sacramenti: nam quia sacramentum sub duplici specie institutum est, utraq; species necessariò ab aliquibus sumenda (imò verò ab omnibus, quia institutio etiam ad Laicos spectat) sed maximè omnium necessaria est sacerdotib; utriusq; speciei sumtio ob perfectionem sacrificii (qualis causa, talis probatio: utrumq; falsum.)

18. CAP. XXIV. Conatur Bellarm. probare, nullo præcepto divino nos obligari ad utramq; speciem: ratio prima petitur à figuris. Pleraq; figuræ Eucharistiæ manducationem sub una specie significant: ut sunt, figura ligni vitæ, agni paschalis, manna, panum propositionis, & sacrificiorum Leviticorum. R. 1. ex allegoriis non ducuntur firma argumenta: Theologia symbolica non est argumentativa, dicunt Scholastici. 2. applicatio figurarum non est facienda proprio arbitrio, sed niti debet literali aliquo Scripturæ textu & cum analogia fidei congruere: institutio canæ verbis propriis & perspicuis utramq; speciem requirit, hic literalis textus non est explicandus per figuras, sed potius U. T. figuræ ex illo sunt explicandæ. 3. aqua ex petra in deserto profluens itidem fuit Eucharistiæ figura, fatente Bellarmino, Ergone etiam sola vini species usurpari potest? apertè id asserere hæten⁹ non fuerunt ausi. 4. proponimus ergò hoc theorema Theologicum: Si multæ figuræ rem unam repræsentant, quicquid est in figuris singulis, quatenus figuræ sunt, id totum est in re figurata: posset hoc confirmari exemplis, sed judicamus non esse

esse necessarium. Quando ergò Bellarm. cumulat tales figuras pro una specie, cōmittit ἑλλειπὲς τῆς διαρέσεως, quia antitypus Cœnæ ostēdit, typum debere esse plenum, ideoq; conjungendas figuras cibi & potus 5. Et cur non afferunt typum Melchisedeci, quem alias pro stabiliendo Missatico sacrificio urgere solent? Melchisedecus protulit panem & vinum, id quod typum Eucharistiæ fuisse, Patres passim docent. Vide Clement lib. 4. *ερωμ.* Cyprian. lib. 2. Epist. 3. Euseb. lib. 5. demonstr. c. 3. Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 1. Epiphani. hæres. 55. August. Epist. 95. Theodoretum, Arnobium, Hugonem, Cassiodorum & alios in Psal. 109. Bellarminus excipit, se non contendere pro necessitate unius speciei, sed praxis ostendit contrarium. Conc. Const. sess. 13. Sancta Synodus declarat effectualiter puniendos contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum sub utraq; specie panis & vini exhortati fuerint & sic faciendum docuerint; Et postea: qui ex illis ad pœnitentiam redire non curaverint animo indurato, per censuras Ecclesiasticas ut hæretici sunt coercendi invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio. Vide etiam Concil. Trid. sess. 21. & Greg. Valent. de Missa p. 95. deinde ne sic quidem satisfaceret Christi institutioni, quæ non liberum reliquit usum utriusq; speciei, sed necessarium esse ostendit. 6. apprimè hoc loco notandum, quòd Paulus 1. Cor. 10. utraq; figuras cibi & potus conjungit, quando ad Eucharistiam eas applicat, & sic suo exemplo ostēdit, non divisim sed conjunctim U. T. figuras sumendas. v. 3. Omnes eandem escam spiritualement manducarunt v. 4. omnes eundem potum spiritualement biberunt. 7. In paradiso non solum arbor vitæ, sed etiam irriguus iste hortus quatuor fluminum fonte uno humectatus fuit: Non solum caro agni paschalis manducabatur, sed etiam sanguine ejus postes aspergebantur: Israëlitis non solum in deserto dabatur manna sed etiam aqua illis profuebat ex petra. 8. Ex figura participationis sacrificiorum sequeretur, etiam sacerdotes non debere calicem Domini bibere. Bell. dicit, Sacerdotum bibitionem respondere consumptioni per ignem, & nititur illa bibitio mandato Christi, si n. Christus non instituisset cœnam eo modo, ut manducationi benedicti panis adderetur bibitio benedicti poculi, nunquam ex illo typo probaretur bibitio Sacerdotum: at eodem Christi mandato nititur bibitio Laicorum. Bellarmini applicatio nititur falsâ hypothesi, quòd scilicet cœna sit sacrificium: adde, quòd illa consumptio holocausti per ignem non magis spectat ad Sacerdotes, quàm ad populum. Rectè ergo Cassand. de comm. sub utr. spec. p. 47. Extiterunt quidam, qui T. V. testimoniis sunt abusi ad probandum jus Dominici sanguinis ad solos Sacerdotes, non autem ad fideles pertinere, cò quòd in U. T. offerentes quidem è populo de sacrificiis, quæ erant in materia solida, edebant: de libaminibus verò, quæ erant in materia liquida, solis ministris, non autem populo libare fas erat: quasi huic commento non satis Chrysostomus occurrat, cùm ait: Non sicut in lege veteri.

terri partem quidem Sacerdos comedebat, partem etiam populus: & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos: sed nunc non sic. Verum omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum.

19. Secundam assertionis suae rationem petit Bellarm. ex doctrina & exemplo Christi. Joh. 6. quatuor vicibus docet unam speciem sufficere. Ibidem panes multiplicavit, non potum. Luc. 24. cum discipulis solum panem fregit. & 1. sacramentalis manducatio & bibitio fundamentum habent in cœnæ institutione: in cap. 6. Johannis de spiritali solum manducatione agitur, ut ex multis circumstantiis evidentissimè probari potest. 2. Aperta hæc veritas multos ex Pontificiis coëgit fateri, non agi hoc 6. capite Johannis de sacramentali manducatione, tales sunt: Biel lect. 84. super Can. Cusanus Epist. 7. ad Bohem. Cajetanus in p. 3. q. 80. art. ult. Ruardus Tapperus in explic. art. 15. Lovan. Hesselius lib. de com. sub una specie, Corn. Jansenius c. 59. Concordiæ. 3. Christus non multiplicavit potum, quia illius nulla penuria. Figuræ non sunt pro nostro arbitrio applicandæ, sed juxta fidei analogiam, sæpè plus est in antitypo quam in uno aliquo typo: ratione generis potest fieri applicatio. Quemadmodum Christus ibidem corporaliter refecit turbam, ita adhuc hodie spiritali cibo in Eucharistia nos reficit. 4. locum illum Luc. 24. fatetur Bell. ab ipsis Pontificiis variè exponi; quod nulla ibi sit Cœnæ Eucharisticæ alia pro Laicis institutio patet, quia omittuntur verba substantialia, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: Lyranus explicat de communi cibo, quia Matth. 14. itidem dicitur, quod Christus acceptis panibus aspiciens in cælum benedixerit, fregit & discipulis dedit. Wilhelmus Widefort, qui contra Wiclefum scripsit Anno 1396. dicit, neq; ex textu, neq; ex Glossa, neq; ex Patribus probari posse, fuisse hanc panis Eucharistici fractionem: Cajetanus super 24. Luc. In sola fractione agnitus dicitur inferius, ut intelligamus fractionem fuisse miraculosam: hoc est, quod frangebatur panem manibus, sicut alii incidunt cultello. Dionys. Carthus. ibid. Accepit panem & benedixit, non in suum corpus convertit, sicut in cœna, sed ut moris est benedicere cibum: in quo instruxit nos, ut ante refectioem benedicatur cibus & potus. Alphonsus de castro lib. 6. contra hæres c. ult. non vult definire hunc locum ad Eucharistiam spectare. Argumentamur autem contra Pontificios hoc modo. Aut in voce panis hinc admittendâ synecdoche, aut Christus consecravit sine vino. Si prius, non possunt communionem sub una specie ex hoc loco probare. Si posterius, ergo etiam hodie sacerdotes consecrationem possunt facere sine vino: at hoc negant, adeo ut Cajetanus in 3. partem summæ q. 80. art. 12. q. 1. pronunciet: Sacrilegus est Sacerdos consecrando panem & non vinum.

20. Tertiam rationem sumit Bell. ex doctrina & usu Apostolorum. Nam Act. 2. ita describitur communicatio Eucharistiæ: erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis &

orationibus. *R.* Chrysoft. hoc loco per panem intelligit jejunium & au-
steram vitam. Oecum. tenuitatem ac simplicitatem victus notari asserit.
Quidam Patrum de Eucharistia accipiunt: sed nullus eorum communio-
nem sub una tantum specie ex illo probare voluit. 2. Concilium Con-
stantiense fatetur, primitivæ Ecclesiæ utramq; speciem in usu fuisse. 3. &
quomodo Apostoli administraverint cœnam, patet ex institutione: acce-
perant enim mandatum à Christo: Hoc facite: à quo eos recessisse, absit,
ut suspicemur. 4. neq; hîc mentio sit consecrationis vini, sine qua tamen
cœnam ritè celebrari Pontificii negant: necessarium ergo est, ut Synec-
dochen agnoscant. 5. contra explicationem de cœnis vulgaribus hoc af-
fert Bell. quòd conjugatur fractio panis cum doctrina & oratione, tum
etiam, quòd vituperatio potius fuisset quàm laus, commemorare de fide-
libus, perseverantes eos fuisse in prandiis & cœnis: *R. ὁμόνοια* & con-
cordia fidelium conversorum prædicatur, quæ etiam in publicis illis &
omnib. cõmunib. cœnis elucebat. 6. at inquit Bell. ex conversis quidã
fuerunt Nazareni, qui abstinebant à vino, *R.* cessaverant jam Leviticæ
Ceremoniæ: Act. 21. etiam Paulus ritus Nazarenorum observat, num &
ille à cœna abstinuit, aut unam speciem usurpavit? 7. Dn. Chemnicus
rectè urget, quòd in vulgata editione 1. Cor. 10. legitur: Unus panis, u-
num corpus sumus, qui de uno pane & de uno calice participamus. Vul-
gata illa editio authentica declarata est in Concilio Tridentino, ab ea er-
gò recedere Pontificiis integrum non est: frustra excipit Bellarminus, id
non haberi in Biblijs correctioribus, quia olim non erat sic. 8. Act. 20.
v. 11. etiam Paulus dicitur fregisse panem, explica de cœna, habebis Pau-
lum sub una specie communicatem, cum tamen, ut loqui solent Pontifi-
cii, fuerit Clericus conficiens.

21. Quartam rationem sumit Bellar. à testimonio veteris Ecclesiæ,
quæ nunquam hoc nomine Manichæos reprehendit, quòd communica-
rent sub una specie. *R.* Leo in serm. quadages. 4. Cum ad tegendam in-
fidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramento-
rum communione se temperant, ut interdum tutius lateant. Ore indi-
gno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ hau-
rire omninò declinant. Quod idè vestram volumus scire sanctitatem,
ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorū de-
prehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societa-
te, Sacerdotali autoritate pellantur. 2. Sozomenus lib. 4. hist. Eccl. c. 5.
refert fœminam quandam hæreticam loco panis benedicti sumfisse pa-
nem vulgarem. *R.* potuit fraus illa deprehendi, antequam calicem acci-
peret. Tempore Chrysoftomi (quo hæc accidisse scribit Sozomenus) o-
mnibus in usu fuisse utriusq; speciei usum, probatum superius. 3. Mani-
chæi olim sumebant panem Eucharistiæ cum Catholicis. Leo serm. 4.
R. Leo ibidem id gravissimè reprehendit. 4. Sacramentum olim fuit as-
servatum *R.* non quid fiat, sed quid fieri debeat attendendum. Orig. in
Levit.

Levit. hom. 5. Dominus panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis, Accipite & manducate, non distulit, nec servari iussit in crastinum. Hefychius in c. 8. Levit. lib. 2. Vidimus in Ecclesia igni tradi, quæcunq; remanere contigerit inconsumta. Georg. Cassander recitat verba Humberti Episcopi Sylvæ candidæ. Legimus Dominum non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse pane benedicto & mox fracto atq; distributo, non enim benedixit tantum & reservavit in crastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit: quodlibet horum, si sine reliquis fiat, sc: aut benedictio sine fractione & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Biel. in can. lect: 26. ex Paschasio. Dominus volens discipulos suos fructus hujus sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, nec dedit discipulis, ut ipsum honorificè conservarent, sed dedit in usum, dicens: Accipite, manducate: & quia per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis, quoties vellent consecrandi potestatem, dū addidit: Hoc facite in mei memoriam. Adde, quod non solum panem veteres reservarint, sed etiam poculum, quia apud Chrysoft. Epist. 1. ad Innocent. etiam sanguis Domini in sacrario servatur. Nazianz. in fun. Gorgon. sicubi quippiam *ἰὼν ἀνθρώπων*, signorum preciosi corporis aut sanguinis manus condiderat. Ne restet dubitatio, audi Baronium Anno 404. Hic Lector considera, quàm procul abhorreant à Patrum traditione, usq; Ecclesiæ Catholicæ, qui nostro tempore hæretici negant asservendam esse sacratissimam Euchristiam, quam videmus non sub specie panis tantum, sed etiam sub specie vini olim consuevisse recondi. Habes id quoq; probatum autoritate B. Gregorii, dum ait in navi portasse navigantes corp⁹ Christi & sanguinem, (locus Gregorii habetur lib. 3. Dial. c. 36.) Vides ipsum Baronium solutionem argumenti Bellarminiani nobis suppeditare.

22. Progreditur Bell. & ex alio ritu veteris Ecclesiæ probat usitatam fuisse olim communionem sub una specie, quia sc: Eucharistia solebat domum deferri. & Tapperus Decan. Lovan. tom. 2. p. 353. Ex historia de Satyro fratre Ambrosii & sermone Cypriani de lapsis videtur, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant, & quod corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibiq; sumerent, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini & corpus Domini manducarent. Vides ergo neq; ex hoc ritu communicationem unius speciei probari, sicut etiam consuetudo illa non congruit institutioni Domini, unde sublata fuit per Concilia. Canon 14. Concil. Tolet. 1. Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur. can. 3. Concil. CæsarAugust. Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. Privata hæc, & extraordinaria exempla, item
per

per Concilia abrogata, non debent opponi usitatæ communicationis sub utraq; specie consuetudini. Ambrosius de obitu fratris Satyri, hauriendi & fusionis vocibus utitur, quæ non possunt nisi de Sacramentali vino intelligi. Tertius ritus ex quo communionem sub una specie veteri Ecclesiæ usitatam fuisse Bell. probare conatur, est communicatio infantum, & propositum est Bell. unam panis speciem comprobare, at infantibus in primitiva Ecclesia dabatur solus calix, ut hoc in loco pugnat Bell. hactenus ergò argumentum à quæstione alienum. Deinde communicatio infantum pugnat cum illo Apostolico: probet homo seipsum & sic bibat de vino illo, unde ne in Pontificia quidem Ecclesia hodie locum obtinet. Deniq; falsum est, quod fingit Bell. Infantibus solum poculum datum, quia Cypr. in Epist. de lapsis & ex illo August. Epist. 23. ad Bonif. tom. 2. p. 18. in persona infantum sic loquuntur. Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad prophana contagia sponte properavimus. Idem August. Epist. 107. ad Vital. Cathag. p. 97. de infantibus: illi, si in parva ætate moriuntur, utiq; secundum ea, quæ per corpus gesserunt, &c. quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando & sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum hæc ergò, quæ per corpus gesserunt, judicantur. Et hoc ex Augustino tam manifestum, ut ipse etiam Index operum Augustini sub lit. E. edit. Paris. ponat hanc propositionem: Eucharistia dabatur olim parvulis sub utraq; Specie, & remittat lectorem ad lib. 5. hypognost. tom. 7. f. 288.

23. Quartus ritus, quem Bellarm. urget, est communicatio ægrotorum. & Justin, Apol. 2. & Hieronymus ad Rusticum testantur, utramque speciem solitam deferri ad absentes & infirmos. Verba Hieronymi hæc sunt: Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Beda lib. 4. Hist. Eccles. c. 14. cuidam puero ægroto Apostolos dixisse refert: Expectare habes, donec Missæ celebrentur ac viatico Domini corporis ac sanguinis accepto sic infirmitate simul ac morte absolutus ad æterna in cælis gaudia sublevaris. Eusebius lib. 6. hist. c. 36. refert presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiæ Serapioni præferendam, sed tamen statim additur, præceptum puero fuisse, ut eam madefactam in os senis infunderet; quod intelligitur ex Canone Concilii Turonensis apud Yvonem ubi præcipitur, ut Eucharistia, quæ in viaticum ex vita excedentium reservatur intincta sit in sanguinem Domini, ut veraciter presbyter possit dicere: Corpus & sanguis pro sit tibi in vitam æternam: unde utramq; speciem eos necessariam existimasse apparet. Quintus ritus est usus communionis Laicæ, & Pamelius in notis super Epist. Cypriani ad Antonian. exponens hæc verba, ut Laicus communicet, sic habet: Laicum communicare non aliud est veteribus, quam inter Laicos communicare: orabant autem & communicabant illi extra cancellos per ministerium Archidiaconi, hoc est extra chorum, ut hodie loquimur. Canon. Apost. 15. facit mentionem communionis Laicæ, at Constantiense Concil. fatetur Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ utramq; speciem in usum fuisse.

Et

Et omnes illi Canones, qui Laicæ communionis mentionem faciunt, eo tempore editi sunt, quo omnes fideles utraq; speciem sumere soliti sunt: Unde Georgius Wicelius Pontificius Laicam communionem nihil aliud esse pronunciat, quam inter Laicos communionem percipere, non administrare, non Sacerdotis officio fungi, eidem astipulantur Lindanus & Tapperus. Bellarm. duo urget contra hanc Domini Chemn. explicationem, primò, quia etiam de Diaconis agitur in illis Canonib⁹, ad quos nunquam spectavit Eucharistiã consecrare, & quid tum? sufficit, quòd à munere Ecclesiastico remoti, etiamsi antea non consecraverint. adde, quòd ad Diaconos in primitiva Ecclesia calicis administratio etiam pertinuit. Alterum, quòd Bell. urget, petitum est ex Canon. Sardicensi 2. ubi ne in morte quidem Laico communicatio quibusdam concedenda dicitur, at cum datur communicatio ægroto, idquè in privato cubiculo, nulla distinctio potest notari loci aut temporis inter Laicos & Clericos & perinde hoc est, ac si diceretur, omninò communionem non recipiant, perfectè abdicati & excommunicati censeantur, ut ne morientes quidem communionem digni habeantur. In Orientali Ecclesia communicatio sub utraq; specie ad nostra usq; tempora perdurat: atqui Sardicensis Synodus à Patribus Orientalis Ecclesiæ est congregata, quomodo ergò per Laicam communionem, unius speciei communicatio intelligi potest? Ad damus expositionis nostræ testem Baronium qui tom. 1. annal. Anno 314. sect. 88. explicans Canonem 9. Synodi Ancyranæ: à ministerio cessare debent. Additur (inquit) in secunda editione: Laicam tantum recipientes communionem: nimirum non cum sacris ministris amplius, sed cum populo extra cancellos communicantes. Nota etiam contradictionem: superius magnis conatibus concomitantiam stabilire Bell. voluit, & tamen usum unius speciei panis loco injunctum olim fuisse disputat, quæ hæc pænã, si cum corpore etiam sanguinem Christi, ratione concomitantiam, acceperunt? Ultimus ritus, quem Bell. urget, est communicatio præsanctificatorum apud Græcos certis quadragesimæ diebus usitata. & Officium Græcorum de mysteriis ante consecratis in Biblioth. S. Patrum disertis verbis utriusq; speciei meminit: ibi namq; legitur, Sacerdotem, postquam sanctificãrit panem, infundere vinum in sacrum calicem, & aquam, & recitari consueta. Sic etiam Liturgia præsanctificatorum interprete Genebrardo utriusq; meminit.

24. Vidimus hactenus quartam rationem, quam pro stabilienda *πονηροκλησια* Bellarminus attulit: Quintam petit ex testimonio & cõsensu Ecclesiæ posterioris, ubi profert testimonia Thomæ, Bernhaldi, Bedæ, Ordinis Romani. & 1. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est: c. Consuetudo dist. 8. Dominus dicit: Ego sum via, veritas & vita, non dicit: Ego sum consuetudo sed veritas: qualibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati est omninò postponenda. c. Si consuetudinem ead. Usus longævus non vincat rationem aut legem l. Con-

Consuetudinis C. quæ sit longa consuet. 2. consuetudo primitivæ Ecclesiæ Apostolis vicinæ meritò præferenda consuetudini Ecclesiæ posterioris. Latomus scribit, primam Ecclesiam, cum rudis adhuc esset, ritum à Christo acceptum religiosè tenuisse, donec à Patribus docta intelligeret, utramq; speciem convenire Sacerdotibus, Laicos solo pane contentos esse posse. At laudabilis illa fuit ruditas, in Magistri verbis fideliter & simpliciter acquiescens. 3. Thomæ tempore introductum fatemur unius speciei usum, tamen p. 3. q. 74. expressè addit Thomas, in quibusdam solum Ecclesiis ita observari. Bernhardus utriusq; speciei passim meminit: quæ ex lib. 1. cap. 11. de vita Bernh. Bellarminus allegat, in illo loco non habentur. Beda usum panis & calicis semper conjungit, hom. de sanctis. lib. 1. in Joh. c. 2. & alibi. Ordo Romanus de offic. Missæ p. 23. Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico. Concludimus verbis Georgii Cassandri de comm. sub utraq; specie f. 17. Non puto demonstrari posse, totis mille amplius annis in ulla Ecclesiæ Catholicæ parte sacrosanctum hoc Eucharistiæ Sacramentum aliter in sacra Synaxi è mensa Dominica fidei populo, quàm sub utroq; panis & vini symbolo administratum uisse.

25. Sextam & ultimam rationem petit Bell ab incommodis, quæ sequerentur necessitatem utriusq; speciei. Mirum v. Christum & primitivam Ecclesiam ea non vidisse, edisserat tamen, quæ illa sint. 1. incommodum est, impossibilitas implendi legem istam, ubi populus valdè numerosus & unus tantum Sacerdos. 2. ratio est particularis, non ergò potest probare univrsalè calicis interdictionem, quia argumentum non debet esse quæstione angustius: Ordinentur plures ministri: iteretur sæpius cœnæ administratio: tribuatur tantum temporis spacium communioni, quantum requiritur: quodvis potius quæratur remedium, quàm ut contra Christi institutionem aliquid agatur. Tertull. in Apolog. c. 37. de incrementis Ecclesiæ primitivæ. Vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum &c. nihilominus tùm utriusq; speciei usus. 2. irreverentia Sacramenti, 3. quin potiùs metuenda irreverentia Christi, si ab ejus verbo recedatur. Origenes, Augustinus, Cyrillus de pane idem præcipiunt: Cum corpus Domini suscipitis, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parùm quid decidat. Utrobiqu; ergò adhibeatur cautio, non autem ejus usus planè tollatur: nec militat ratio, si pauci adsint Laici Metus etiam est in deportatione 4. Justinianæ ætate per Diaconos Eucharistia, panis, vinum & aqua in quibus gratiæ actæ, absentibus mittebantur Apol. 2. Posset fieri consecratio in privatis ædibus. 3. multi sunt abstemii. 4. num v. propter paucos quosdam abstemios totus fidelium populus calice privandus? rarissimè inveniuntur, qui non possint tantum vini haurire, quantum sufficit ad usum sacramentalem. 4. in multis regionibus vina non proveniunt. Resp. advehantur igitur ex locis aliis. Innocenti^o
octa-

Stavus concessit Norvegis sine vino sacrificare, quod ipsi Pontificii hodie non concedunt, miserè igitur in illo facto excusando se torquet Bellarminus. Et de communione sub una specie hætenus.

CAP. III. De sacrificio Missæ.

1. Credimus, docemus & confitemur passionem & mortem Domini nostri JESU Christi, unici summi Sacerdotis in N. T. esse unicum illud, reale & propriè dictum N. T. sacrificium propitiatorium pro totius mundi peccatis, quo omnia V. T. sacrificia externa antiquavit, cujus virtus *εὐεργεσία* Spiritus sancti omnibus offeratur & credentibus applicetur per Evangelii prædicationem & Sacramentorum administrationem. Falsum ergò dicimus, & non solum omni sacrarum literarum fundamento destitutum, sed etiam illis repugnans, quod Pontificii *flagunt*, in Missa fieri verum, visibile & externum sacrificium, quo Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus DEO offerat corpus & sanguinem Christi, idq; sacrificium esse verè propitiatorium, & offerri non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed etiam pro defunctis. Concil. Trident. sess. 23. Bellarm. lib. 1. de Missa c. 5. Pistorius & alii.

2. Utimur autem contra Pontificios hoc argumento. Si 1. solus Christus est summus Sacerdos sive Pontifex N. T. 2. qui semel seipsum obtulit. 3. & unicâ oblatione consummavit in æternum eos, qui sanctificantur. 4. quæ oblatio sola est satisfactoria & propitiatoria pro peccatis. 5. Item si absq; sanguinis effusione non fit remissio, 6. si forma sacræ cœnæ consistit in manducatione corporis cum pane & bibitione sanguinis Christi cum vino, 7. & in ea non sit nisi commemoratio unici illius propriè dicti sacrificii à Christo in cruce semel peracti. 8. deniq; si scriptura nulla alia Christianorum in N. T. sacrificia, quàm interna & Spiritualia agnoscit, consequitur falsum & fictitium esse Missaticum Pontificiorum sacrificium.

3. Connexionem propositionis & singulorum membrorum veritatem alio loco, DEO dante, comprobabimus, & quæ Bell. pro suæ sententiæ confirmatione, vel pro nostræ eversione adducit, refellemus: interim ad examen Dn. Chemnitii, Disputationem Antipistorianam 10. Dn. Mentzeri Præcept. & librum Dn. Hutteri hac de re editum remittimus eos, qui plenam hujus controversiæ enodationem desiderant.

CAP. IV. Περὶ τοῦ ῥητοῦ.

1. Sententia nostra est, quòd verba S. Cœnæ *κατὰ τὸ ῥητόν*, secundum nativam, genuinam, & literalem significationem, non tropicè aut figuratè sint accipienda: Nitimur autem his fundamentis. Arg. I. Nullum est dogma Christianæ fidei, quod non alicubi in scriptura propriis & perspicuis verbis tradatur. Doctrina de sacra cœna est dogma

H

Christia-

Christianæ fidei. E. alicubi in scriptura propriis & perspicuis verbis traditur. Jam ulterius: Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. ex professo tractatur dogma de cœna, atq; hæc est propria hujus doctrinæ sedes. Ergò loca illa *κατὰ τὸ ῥητὸν* accipienda. Connexionis rationem damus hanc, quia quicquid in descriptione Christianorum dogmatum figuratè, modificatè, seu tropicè in sacris Bibliis proponitur, id ex aliis manifestis, perspicuis & claris, iisq; non peregrinis & alienis, sed homogeneis scripturæ locis explicari potest ac debet. Dogma de S. cœna nusquam ex professo traditur, nisi in illis locis. E. ista loca in sensu literali & proprio accipienda: nisi enim id fieret, doctrinam de cœna propriis verbis nusquam in scriptura proponi sequeretur, & sic periret perfectio scripturæ, siquidem ex solo sensu literali in dogmatibus Christianis comprobandis firma ducuntur argumenta. Non possunt hinc provocare ad cap. 6. Johannis, quia cœnatio illa integrum annum antecessit institutionem cœnæ, & omnes loci circumstantiæ evincunt, non de sacramentali, sed de spirituali solùm manducatione & bibitione ibi agi. Jam verò ipsimet adversarii inter sacramentalem & spiritualement manducationem distinguunt, quod vel ex Sadeële contrariè potest, qui distinctos hac de re conscripsit libros.

2. Quicquid solenniter sub forma Testamenti alicubi proponitur, ejus verba simpliciter & propriè accipiendæ. Gal. 3. v. 15. Etiam hominis Testamentum confirmatum nemo spernit aut superordinat. Sic l. Non aliter §. de legatis 3. in princ. Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. l. Labeo. 7. §. 2. de supell. legat. Quorsum nomina, nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror quenquam dicere, quod non sentiret. Vide citatos à Tileman. p. 2. ff. disp. 7. thes. 31. & refer hinc dicta Jctorum. Cùm in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. Si contrarium volebat Testator, nulla erat difficultas ita disponere. Verba Testamenti diligenter consideranda, ne dùm nimiam utamur circa hujusmodi sensus subtilitate, judicia Testantium defraudentur. In dubio tutius est non recedere à verbis, sed illis tenaciter inhærere sine extranea interpretatione. Magis verba ponderanda, quàm mens imaginaria & incerta. Non est recedendum à verbis Testatoris, quia talis præsumitur fuisse intentio, qualem verborum proprietates importat. Non est credendum Testatorem id velle, quod non dixit. Finibus verborum debemus esse contenti, quia nulla dispositio ultra egreditur, quàm verba patiantur, lector itaq; instrumenti solutionem habet quæsitæ. Quod Testator non loquitur, velle non præsumitur. Multi decipiuntur, qui non ponderant verba Testamentorum, quæ in se magnū pondus habent ad cognoscendum quid est. Ejus quod multipliciter exponitur, veritas ignoratur, &c. Hactenus propositio Major: sequitur Minor. Cæna Domini solenniter sub forma Testamenti in prædictis locis instituta est, hinc Testamenti etiam nomine appellatur: Ergò
loca

loca illa simpliciter & proprie accipienda. Excipiunt, etiam Jacobi Patriarchæ testamentum multis tropis esse figuratum. & potius Prophetia fuit, quàm Testamentum. Gen. 49. v. i. vocavit Jacob filios suos & dixit: Congregamini & annuntiabo vobis, quod eventurum est vobis in novissimis diebus. Alii negant sacram cœnam esse Testamentum, & adsunt omnia Testamenti requisita, bona N. T. propria in illo legantur, intercedit mors Testatoris, & Christus ipse notanter addit: Hic est sanguis N. Testamenti: Paulus: Hoc poculum est N. T.

3. In cujus dogmatis descriptione omnes, qui id annotarunt, ad amussim concordant, ejus verba simpliciter & proprie accipiendâ: quia, si aliter essent accipienda, vel unus ex illis addidisset interpretationem. In descriptione cœnæ Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus ad amussim concordant. In prima cœnæ parte omnes testantur Christum dixisse: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: In secundâ parte variantur verba, sensu eodem permanente. Bibite, hic est sanguis meus N. T. Matth. 26. vers. 28. Marc. 14. vers. 24. Hic calix est N. T. in meo sanguine, id est, propter meum sanguinem, cujus est communicatio. Luc. 22. v. 20. I. Cor. 11. v. 25. quæ collatio mirificè confirmat τὸ ῥητὸν.

4. Ubi omnes rimæ tropis seu figuris obstructæ sunt, ibi proprietates sermonis accuratè & firmiter tenenda. In descriptione cœnæ omnes rimæ tropis obstructæ illis ic. quibus substantialia cœnæ mutantur: tota controversia est de illis propositionibus: Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus: Non esse tropum invehendum in vocem panis aut poculi patet, quia, interprete Matthæo, calix dicitur pro vino: non esse tropum in voce corporis vel sanguinis, patet ex addita descriptione, corpus, quod pro vobis traditur, sanguis N. T. qui pro vobis effunditur.

5. Quicumq; sensus unam ac certam gignit sententiam, ad eò ut fidem in immota certitudine stabiliat, is meritò amplectendus. Joh. 12. v. 48. Sermo quem Christus locutus est, judicabit nos in novissimo die: & Scripturæ interpretatio propria autoritate non fit 2. Petri 1. v. 20. Sensus literalis proprius præ dianoëtico confert fidei plerophoriam. D. LUTHERUS tali Apologia se apud tribunal filii DEI usurum esse scribit. Domine Jesu Christe, controversia in mundo agitata fuit super verbis Testamenti tui, aliquibus in diversam à verborum tenore sententiam eadem trahentibus, quibus ego fidem & conscientiam meam committere, nec potui nec volui. Ego verò, quia Testamenti tui & ultimæ voluntatis verba ista esse consideravi, neq; comperi uspiam in scriptura, diverso, quàm sonarent, sensu eadem abs te accipi, cui declarationi haud dubiè non pepercisses in re tam gravi, si aliter, quàm sonant, voluisses intelligi, in nativo & simplice eorundem sensu acquievi: Judica ergò tu Domine, an erraverim & si erravi, cujus culpâ factum sit, ut erraverim. D. Philipp. Melanchth. ad Frid. Myconium. Ego nullam satis firmam rationem invenio, cur ab hac sententia discedamus. Fieri potest, ut alia sententia

blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano iudicio, præsertim sic instructa & ornata argumentis eruditè excogitatis, sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi a recepta sententia in Ecclesia? tunc ista verba, hoc est corpus meum, fulmina erunt: quid his opponet mens perterrefacta? quibus scripturis, quâ voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit, necessariò hic fuisse interpretandam metaphoram?

6. Omnis tropus est mutatio significationis propriæ vocis in aliam. In verbis cœnæ substantialibus non est mutatio significationis propriæ alicujus vocis in aliam. E. nullus in illis tropus. Excipiunt esse in illis metonymiam. Panis est corpus, id est, panis est signum corporis. & Particula ostensiva, Hoc, non respicit solum panem: Acceptemus tamen ex hypothese propositionem: Panis est corpus Christi: dicunt in ea esse metonymiam signati pro signo. Atqui 1. talis explicatio repugnat Naturæ sacræ cœnæ, quia Sacramenta N. T. non consistunt in significando tantum. 2. vox corporis non potest aliter accipi quam de verò Christi corpore, additur enim, **QUOD PRO VOBIS TRADITUR**, jam verò non signum corporis, sed verum Christi corpus pro nobis in mortem traditum. 3. si panis & vini officium deberet esse significare corpus & sanguinem Christi, cur Christus sustulisset sacramentum agni paschalis, significatione longè clarius? 4. nusquam in tota scriptura vox corporis accipitur pro signo corporis. 5. etiam in parte altera sanguis accipiendus esset pro signo sanguinis, id quod fieri nequit, quia itidem additur limitatio, **QUI PRO VOBIS EFFUNDITUR**, Jam v. non signum sanguinis pro nobis effusum, sed verus Christi sanguis. 6. quin & absurda inde emergerent propositiones. Lucas & Paulus habent: Hoc est N. T. in meo sanguine, resolve ex sententia adversariorum, in signo mei sanguinis: Poculum est communicatio sanguinis, id est, signi sanguinis. 7. Absurdum est, verba Christi aliter accipi, aliter verba Apostoli. Atqui apud Paulum vox, corporis, accipitur pro vero corpore. 1. Cor. 10. 16. Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi. 8. metonymia illa signi pro signato secum ipsa conflictatur. Quod enim corpus notatur verbis illis, Edite, hoc est corpus meum, illud & non aliud in sacra cœna præsens & cum pane editur. Atqui per metonymiam illam sacramentalem signum corporis in illis verbis tantum notatur. Ergò ipsum corpus non est præsens, sed tantum corporis, quare ergò gloriantur, se non tollere præsentiam corporis? 9. caret illa metonymia probatorum exemplo autorum: nemo n. usquam dixit. Fasces sunt imperium. Toga est pax. 10. hoc modo in verbis cœnæ propositio erit identica. Metonymia signati pro signo est, cum signatum exprimitur & signum intelligitur. In hac propositione, Panis est corpus Christi, ex sententia adversariorum signatum exprimitur, & signum intelligitur. Jam ulterius: Signum sacramentale est panis, signatum corpus Christi, pone loco signati signum, emerget hæc propositio: Panis est panis.

7. Re-

7. Referenda hūc sunt dicta Patrum. Iren. lib. 2. advers. hær. c. 46. Is sanus sensus & sine periculo est, qui apertè & sine ambiguo ipsis dictionibus in scriptura ponitur. Hilar. lib. 1. de Trin. Optimus Scripturæ lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs, quàm importat, & retulerit potiùs, quàm attulerit, neq; cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum. Cyrill. lib. 4. thesauri c. 13. In mysteriis simpliciter credendum, quia ideò sunt mysteria. Vide etiam Chrysoft. hom. 83. in Matth. p. 703. Damascen. 4. de orth. fid. c. 14. de hoc mysterio nihil novimus, quàm quòd verbum Christi est verum, efficax, omnipotens, modus a. inscrutabilis. Pertinet hūc confessio ipsius Zegedini tab. 8. de cœna p. 183. petendus est sensus verborum Domini ex ipsis Cœnæ Dominicæ vocabulis, quorum singula, singula gignunt argumenta.

8. Forum, qui Calvinum Sequuntur, sententia est, verba Cœnæ figuratè accipienda; Calv. in form. Conf. p. 24. Qui in solennibus Cœnæ verbis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, præcisè literalem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam præposteros interpretes repudiamus. Grynæus præfat. disp. de Cœna Anno 84. Nos sententiam sequendam ducimus, alij scriptum retinere malunt. Perkinsus in Cath. reform. p. 228. Si verba Christi de cœna propriè intelligerentur, omnes hospites cœnæ essent homicidæ Christi. Videamus præcipua ipsorum fundamenta.

9. Arg. I. Literalis sensus incurrit in articulum fidei de veritate corporis & sanguinis Domini, quia verum & Naturale corpus non potest esse simul & semel in pluribus locis &c. 1. Nos utramq; credimus: Christum habere & in æternum retinere verum humanum corpus, & nihilominus id in cœna, mediante benedicto pane, manducandum dari. 2. quæstio ergo est, an non hæc duo simul consistere possint, veritas scilicet corporis Christi & tamen ejus in cœna præsentia? affirmamus nos, negant illi, & ex affirmatione unius inferunt negationem alteriùs; vitiosè: At, inquit, hæc sunt contradictoria: Christus retinet verum corpus, & tamen illud in cœna præsens est: jam v. Deus non facit contradictoria. &c. Judicium de vera contradictione in articulis fidei non est committendū rationi humanæ, quia Deus plùs potest, quàm nos intelligimus Ephes. 3. v. 20. sed ex scripturâ statuendum, quæ verè contradictoria sint, jam v. scriptura utrumq; asserit, Christum habere verum corpus & illud in cœna dari. 3. quidam, ut effugiant, dicunt rationem non renatam esse quidem captivandam sub obsequium fidei, sed rationem renatam omninò audiendam, & ratio renata de articulis fidei debet statuere ex verbo DEI, jam v. Christus dicit, Accipite, manducate, Hoc est corpus meum: si ratio contra hoc Christi verbum ex suis principiis disputat, non amplius renata est, sed suum sequitur ductum, ac tam non audienda est, quàm non audiri debet Philosophus, contra resurrectionem corporum disputans ex illo principio Physico: Nullum individuum, quod semel interiit, idē

H 3

nume-

numero redire potest. 4. at inquit, ratio contra præsentiam corporis in Cœna disputans non nititur suis principiis, sed scripturæ pronunciatum de veritate corporis Christi, & non saltè in uno debet audire scripturam, quòd scilicet Christus habeat verum corpus, sed etiam in altero, quòd sc: illud verum corpus in cœna sit præsens; si unum velit alteri opponere, non ampliùs est renata ratio, & si omninò placet alterum negare sc: vel veritatem corporis, vel veritatem præsentia: exponant nobis, quare potius præsentiam in cœna tollere velint ex veritate corporis, & non corporis veritatem ex præsentia in Cœna? dicunt veritas corporis est articulus fidei, quæro, unde sciunt? respondent ex scriptura: at inquam ego, scriptura itidem docet, corpus Christi adesse in cœna, Ergò etiam præsentia illa est articulus fidei: ita non possunt pedem suum alicubi certò figere, qui rationis sequuntur tenebras relictâ scripturæ luce. 5. res ita se habet: Axjoma istud, corpus naturale non est in pluribus locis, est pronunciatum Philosophicum: valet ergò & procedit in Philosophia: agit autem Philosophia de cursu Naturæ ordinario, sive de potentia DEI ordinaria: quàm autem absurdum est dicere, DEUM non posse aliquid agere supra Naturam, tam etiam absurdum ex pronunciatum hoc Philosophico præsentiam corporis Christi ex cœna excludere: ex quibus omnib. patet non dubitari de veritate propositionum in Syllogismo, sed de applicatione: non quæritur, an per Naturam fieri possit, ut corpus unum sit in pluribus locis: multò minus quæritur, an Christi corpus sit verum corpus: sed hoc quæritur, an his omnibus concessis, inde rectè inferatur, DEUM facere non posse, ut Christi corpus in cœna præsens sit, dicunt Natura corporis non fert: est enim finitum. quæro, unde scis? certè ex solis rationis principiis: scriptura enim nusquam hoc dicit, quòd repugnet Naturæ corporis. vides ergò ultimam resolutionem argumenti redire ad pronunciatum ex principio rationis deductum, atq; illud opponi verbis Christi in cœna. 6. Ut autem videas, non debere opponi pronunciatum Philosophicum verbis Christi, perpende hæc dicta ipsorum adversariorum. Calv. 3. Instit. c. 23. sect. 4. Indignum est ad eam legem DEI opera redigere, ut simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus. Sadeël in præfat. Oper. Theol. de meth. disp. in Theol. Cùm Theologia sit supra omnes scientias, eam subjici principiis Philosophicis non ineptum modò, verùm etiam iniquissimum ac indignissimum. Aret. parte. 1. probl. 2. Quæ est ista petulantia, divina mysteria communibus Naturæ legibus obnoxia facere, quæ cùm sint omni rationi humanæ inexplicabilia, adoranda potius quàm ventilanda? Mornæus præfat. libr. de verit. relig. Tantùm abest, ut humana ratio fidei sit mensura, ut ne Naturæ quidem propter ignorantiam & pravitatem esse possit. Beza in epigr. p. 249. Quæ voce nobis prodidit DEUS suâ, Ratione sciri non queant humanitùs. 7. Potuit humana Natura Christi, salvâ ejus veritate, assumi in infinitam *λόγος ὑπόστασις*: quomodo ergò corpus Christi salva ejus

vā ejus veritate non possit in cœna præsens esse? 8. Natura cujusq; rei soli DEO perfectè cognita, nos nec DEI potentiam, nec rerum Naturam perfectè in hac vita cognoscimus. Unde quidam ex Scholasticis disputant, etiam per Naturam corpus naturale in pluribus locis esse posse.

9. DEUS vim ac terminos Naturæ dedit, interim tamē potentia suæ terminos non posuit: cadaver ergò hoc est consequentiæ. Jure Naturali corpus non est in pluribus locis. E. nec divinā potentiā. Quinimò Naturæ Dominus DEUS est, Natura ministra est, Quam fas est Domini jussa verenda sequi. Scal. exerc. 5. sect. 6. disputat, quare corpus naturale non possit esse in plurib⁹ locis, sed mox addit: de naturali corpore sermo est, non de supercœlesti Synaxi. 10. sunt & alio modo in argumēto isto adversariorū quatuor termini. Nullū corp⁹ naturale potest esse in plurib⁹ locis. CHRISTI corpus est naturale: & major loquitur de corpore merè humano. CHRISTI corpus non est merè humanum, sed ipsius λόγος proprium factum corpus. Major loquitur de corpore naturali, quatenus tali, id est, quatenus consideratur ex principiis & proprietatibus suæ essentiæ: jam v. quòd Christi corpus dicitur esse præsens in cœna, id non asserimus fieri ex quadam corporis proprietate, sed ex verbis Christi. Deniq; argumentum concludit de jure naturali, quòd sc: vi aliquā Naturæ non possit unum corpus esse in pluribus locis, quòd v. Corpus Christi in cœna præsens est, in eo agnoscimus & prædicamus infinitam DEI potentiam. 11. Si dicatur, esse contra Naturam corporis, ut sit in pluribus locis, respondebit pia mens, est contra Naturam Christi & verborū ejus, ludere Christianos. Quod ergò non dat corporis proprietate, id præstat Christi cum omnipotentia loquentis veritas. 12. Observa verò circulum, quem committunt adversarii in suis argumentis. Quæritur sintne verba Cœnæ intelligenda κατὰ ῥητὸν: negant, quia corporis proprietate repugnat. Rursum, si quæras, possit ne Christus, quia non tantum sit homo, sed etiam verus DEUS, præsens suum corpus in cœna sistere? negant, quia non vult, unde emergit argumentatio circularis & principii petitio.

10. Arg. II. Si observetur τὸ ῥητὸν, tollitur articulus de ascensione Christi ad cœlos. & 1. nos utrumq; articulum credimus. 2. argumentum non rectè procedit à non distributo ad distributum. Corpus Christi est in cœlo secundum veri corporis modum. E. planè nullo modo est in cœna: id tantum sequitur: Ergò quo modo est in cœlo, & quo modo Christus ad judicium rediturus, nō est in cœna. 3. Nullus unquam ex Patribus articulum ascensionis opposuit præsentia in cœna. 4. Christus ita ascendit in cœlum, ut sedeat ad dextram DEI, id est, secundum explicationem August. Confess. art. 3. ut potenter regnet & dominetur omnibus creaturis: secundum hanc potentiam Christo secundum humanam etiam naturam datam, quā potest omnia sibi subicere, Phil. 3. v. 21. etiam corpus suum nobis in cœna manducandum dare potest.

5. Dn.



5. Dn. Lutherus contra adversarios profert Institutionem Cœnæ factam ante ascensionem. Ergò, inquit, saltem in prima cœna verba *κατὰ πρό- τιν* intelligenda, quia tùm nondum obstabat ascensio. 6. Paulus I. Corinth. II. repetit verba cœnæ, postquam jam Christus in cœlum ascende- rat, repetit autem eodem modo, quo à Christo primùm tradita, ab Evan- gelistis annotata, & à Christo jam tùm in dextra patris regnante ad Pau- lum repetita v. 23. 7. Christus etiam post suam ascensionem apparuit in his terris. Act. 9. 5. & 23. II. 8. notanda hoc loco verba Martini Bucerii. Cùm cœli, ad quos Christus ascendit, sint supra omnes cœlos, equidem non ausim illos definire, nisi Scripturæ verbis, non nostræ rationis prædi- camentis. Scripturæ autem illos non nisi majestate & virtute divina de- finiunt, non locorum intercapedinibus, clareq; attestantur, eos in cor ho- minis non ascendisse. Marloratus super 27. Matth. Cœlum, in quod Domi- nus noster ascendit, invisibilis Patris gloria est, & inaccessa divinitatis lux.

II. Arg. III. Propositiones sacramentales sacramentaliter explican- dæ. Verba Cœnæ sunt propositio sacramentalis. 1. Carolstadius, quem Dn. Philippus vocat primum autorem hujus Tragœdiæ, negabat uten- dum esse voce Sacramenti. 2. Concedimus totum, quòd scilicet modum unionis sacramentalis sequatur modus prædicandi sacramentalis: quod si subsumere velint, unionem illam consistere in significando, id verò ne- gamus & verba Institutionis illis opponimus. Dicit Apostolus, Panis est communicatio corporis Christi: communicationem illam in cœna fieri manducando, docet Christus dicens: Edite, Hoc est corpus meum. 3. at inquit, prædicationes in sacramentis & sacrificiis per typos & figuras explicantur, & doctrina generalis de sacramentis nusquam generaliter traditur in scripturis, ideo de quolibet Sacramento judicandum ex pro- pria sede. Quod analogiam sacramentalem attinet, ea duplex est: vel enim respicit Sacramentum integrum, vel Sacramenti partem: Analogia sacramenti integri ad usum spiritualem est eadem in sacramentis V. & N. Testamenti: sed analogia partium sacramenti differt, quia *χέρις* inter rem terrenam & cœlestem in sacramentis V. & N. T. eadem non est. Symbola externa in Sacramentis V. T. sunt tantum *σημαντικά*, sym- bola externa in sacramentis N. T. sunt *προσφερόμενα*, Coloss. 2. Hebr. 10. 4. At inquit, Circumcisio dicitur signum fœderis Gen. 17. & præter ostensam disparitatem sacramentorum, V. & N. T. addimus etiam hoc, quòd *σημείον* hîc significet atq; denotet signum obfi- gnans gratiam & fœdus, perinde ut Apostolus Rom. 4. v. 10. explicat per *σφραγίδα*: ideoq; est descriptio totius sacramenti à fructu. 5. at, inquit, agnus dicitur Phase Domini & Agnus paschalis erat typus Chri- sti, typus ille in ultima cœna institutionem Eucharistæ antegressa finitur, & N. T. sacramentum instituitur: quod fontes veritatis habeant Pesach
hu

hu laioval, ubi expressè verbum *est* non invenitur. Nocturnus
Zwinglii monitor per principii petitionem accipit, quòd sit referenda
hæc propositio ad agnum paschalem: sed nec litera in textu hoc affirmat
nec sententia verborum admittit: toto n: genere prædicamentali distant
agnus & transitus Domini: deinde nullus hîc locus significationi, cum
inter agnum & transitum nulla similitudo, ordinatio aut collatio: Et si
n: agnus paschalis, totaq; illius tractatio typica fuit, significandi vim ha-
bens, ea tamen significatio non ad transitum Domini, sed ad Christum
immolandum & fide manducandum fuit directa: vera igitur & literalis
sententia est, quòd proximè præcedentis mandati de festinata mandu-
catione reddatur ratio, ideò nimirum festinandum esse, quia parùm su-
perfuturum temporis Domino per Ægyptum transeunte, atq; sic absolutè
intelligitur textus, non relativè: hoc sensu, Festinanter comedite, quia
transitus Domini est transeuntis per Ægyptum vos inde educturi & ho-
stes punituri. 6. at petra erat Christus, id est, significabat Christum, 1.
Cor. 10. v. 4. & loquitur Apostolus de petra comitante Israëlitas, quod
de corporea petra dici nequit: spiritualis a: petra non significabat Chri-
stum, sed erat ipse Christus.

12. Arg. IV. Verba cœnæ sunt *κενώμενον*, non ergò possunt
afferri pro argumento. & non de ipsis verbis quæritur, nisi quis dicere
velit, adhuc dubitari, an verba illa à Christo usurpata sint, quæritur a: de
vero verborum sensu, què nos dicimus eum esse, qui ex verbis *κατὰ πρόθεσιν*
& propriè acceptis fuit, adversarij per tropum ea esse explicanda con-
sistent.

CAPUT V. de vera, reali ac substantiali præ- sencia corporis & sanguinis Christi in cœna.

1. Credimus, docemus, ac cõfitemur juxta ipsius Christi institu-
tionem modo soli Deo cognito, nobis incomprehensibili pani benedi-
cto tanquam medio divinitus ordinato, corpus verè, realiter ac substan-
tialiter præsens: vino benedicto sanguinem Christi itidem, substantiali-
ter præsentem uniri, ut cum illo pane verum Christi corpus, cum illo vi-
no verum Christi sanguinem in sublimi mysterio sumamus, manducemus
& bibamus. Nullam autem hîc agnoscimus impanationem, (quam
Zwinglius) nullam consubstantiationem (quam Sadeël) nullam inexi-
stentiam vel delitescentiam corpusculi sub pane (quam alij Calviniani
per calumniam nostris affingunt Ecclesiis) sed vocamus præsentiam sa-
cramentalem.

2. Arg. I. Verba S. cœnæ in sensu literali proprio accipienda. At
eo modo accepta realem ac substantialem præsentiam corporis & sangui-
nis Christi statuunt, quod sic ostendimus. Id quod Christus Apostolis
manducandum ac bibendum dabat, id verè, realiter ac substantialiter in
cœna erat præsens. Id quod Christus Apostolis manducandum ac bi-
ben.

bendum dabit, testabatur non esse solum panem aut vinum solum, sed etiam suum corpus & suum sanguinem. Ergò corpus & sanguis Christi verè, realiter, ac substantialiter in cœna erant præsentia. Vis clarius? Panis est communicatio corporis, & vinum est communicatio sanguinis Christi, dicit Apostolus: quomodo hoc? dicit Christus: Accipite, manducate, Hoc est enim corpus meum: bibite, Hoc est sanguis meus. Ergò manducando benedictum panem in cœna fit communicatio corporis Domini, bibendo benedictum vinum fit communicatio sanguinis Christi.

3. Arg. II. Si cœna Dominica non est umbra futurorum bonorum, sed habet ipsum corpus, ipsam substantiam, ipsamq; expressam imaginem, utiq; non figura nuda corporis & sanguinis Christi in cœna proponitur. At verum prius. Ergò & posterius. Consecutio patet, ex discrimine U. & N. T. Col. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1. Assumptio patet ex verbis Christi: Hoc est sanguis (non hircorum aut vitulorum, neq; agni paschalis, qui erat typicus, sed) meus, ipse sc: filii DEI & filii hominis sanguis, sanguis, inquam, non U. T. antiquati, sed N. T. olim per Prophetas promissi, nunc verò sanciti & confirmati.

4. Arg. III. Luc. 22. v. 20. Hoc poculum est N. T. in meo sanguine (id est per & propter meum sanguinem) quod poculum pro vobis effunditur, τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. Poculū cœnæ pro nobis effusum nullā aliā ratione dici potest, quàm quia sacramentaliter sibi unum habet sanguinem Christi pro nobis effusum. Beza respondebat esse solœcismum in verbis, quod absit, ut SS. summo loquendi magistro tribuamus.

5. Arg. IV. Quod in terris testatur, utiq; etiam in terris præsens est: Sanguis Christi testatur in terris: numerantur enim tres testes 1. Joh. 5. v. 8. Spiritus, aqua & sanguis. Per Spiritum intelligimus ministerium Evagelii, quod est ministerium Spiritus 2. Cor. 3. v. 8. per aquam intelligimus baptismum: per sanguinem verò sacram cœnam; quia sacramenta sunt testimonia divinæ voluntatis, ut loquitur August. confessio.

6. Arg. V. 1. Cor. 10, v. 16. Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Domini: Calix, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Domini. Apostolus externo symbolo, scilicet pani, tribuit, quòd sit communicatio corporis, non ergò soli fidei id acceptum ferendum, aliàs dictum fuisset, fides in cœna est communicatio corporis. Deinde dicitur, quòd panis sit communicatio, non beneficiorum, sed ipsius corporis Christi, quam emphasin urget Apologia Aug. Confess. Deniq; si communicatio intelligenda esset de spiritali solum manducatione, non opus fuisset, distinctè nominare corpus & sanguinem Christi, quia fides totum Christum uno actu complectitur. Meritò ergò hunc locum D. Lutherus vocat gaudium & coronam cordis sui.

7. Arg. VI. Si panis esset solum signum corporis & vini sanguinis Christi,

Christi, sequeretur V. T. Sacramenta fuisse clariora signis N. T. quod concedi non debet, quia V. T. fuit tempus umbrarum. Consecutio ostenditur, quia caro agni paschalis longè clariùs & expressiùs significasset corpus Christi, sanguis agni paschalis effusus longè evidentiùs sanguinem Christi expressisset: sequeretur insuper, cœnas domesticas, in quibus saturamur, aptiores esse ad celebrationem Cœnæ, quia sc. spiritualis alimonia clariùs denotaretur per alimoniam corporis: consequens negat Apostolus I. Corinth. II. v. 34.

Dicta Patrum & multa & perspicua huc afferri possent sed studio brevitas remittimus hujus rei cupidos ad nostrorum præsertim D. Marbachii libros de Euchristia editos.

8. Sententia adversariorum est, corp^o Christi non adesse in cœna realiter, ac substantialiter præsens, sed tantùm præsentiam quadam *χηρικῆν*, hoc sc. modo, ut panis signum sit absentis corporis. Arg. I. Ad corpus Christi spiritualiter percipiendum, non opus est statuere præsentiam aliam, quam fidei, frustra autem id statuitur, cujus nullus usus. R. 1. argumentum hoc directè impugnat institutionem Christi. 2. aliud est manducatio sacramentalis sc. medium confirmandæ fidei, aliud ipsa fides. 3. D. Lutherus rectè monet, etiamsi nudum tantùm mandatum à Christo traditum esset de manducatione corporis sacramentali sine expressa mentione fructus, non tamen à verbis Christi discedendum esse. 4. Dn. Chemnicus c. II. de cœna p. 462. & seqq. ostendit, substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna maximas præbere consolationes. Primò fides nostra debet apprehendere Christum DEUM & hominem in ea Natura, quâ propinquus, cognatus, & frater noster est: vita enim, quæ divinitatis propria est, in assumpta humanitate residet & q. deposita est: quia igitur onere peccatorum pressi non possumus ad Christum in gloria regnantem penetrare, idè ad nos venit apprehensurus nos eâ Naturâ, quâ frater noster est, & quia gloriam majestatis ejus fragilitas nostra in hac vita ferre non potest, sub pane igitur & vino adest, & exhibetur nobis corpus & sanguis ejus. Secundò: per peccatum ita eramus abalienati à vita divinitatis, ut fragilitas nostra eam sine medio secum agentem ferre non posset, idè Christus non solùm assumpsit Naturam nostram, sed illam etiam nobis rursus restituit præbendo nobis in cœna corpus & sanguinem suum, ut hoc nexu assumptæ & nobis rursus communicatæ humanitatis suæ subvehat nos ad communionem & conjunctionem cum ipsa divinitate. Tertiò: Natura nostra principio ad imaginem DEI creata, omnibus cœlestibus & divinis donis ornata erat, quæ bona apud Adamum, ut generis nostri autorem, deposita erant, sed per lapsum non tantùm bona illa amissa, sed Natura peccato depravata & morte perditam est. Filius igitur DEI Naturam nostram, sed sine peccato, assumpsit, in ea peccatum damnavit, mortem destruxit, ac vitam eam replevit, atq; ita humanam Naturam primùm in sua persona sanctificavit: Ut autem certi redere-

deremur, hæc ad nostram etiam miseram Naturam in nobis pertinere & verè nobis communicari, Christus illam ipsam Naturam, quam à nobis assumfit & in se primò reparavit, rursus nobis in Cœna præbet. Quartò: Evangelij doctrina in genere pronunciat, traditione corporis & effusione sanguinis Christi, placatam esse iram Patris & æternam redemptionem acquisitam: sed anxietas & pavida mentes conspectu peccatorum, indignitatis, infirmitatis & variis tentationibus terrentur & turbantur, ut de speciali applicatione dubitare incipiant, Christus igitur ipsum corpus quod pro nobis in mortem tradidit, & ipsum sanguinem, qui pro nobis effusus est, in cœna illis exhibet, & hoc certo ac firmo arr habone exhibitionem & applicationem promissionis Evangelicæ confirmat. Quintò: Humana Natura Christi de positis infirmitatibus residet in gloria Patris, nostra Natura, licet juxta promissionem spem habeamus glorificationis, tamen fordibus adhuc inquinata, miseriis oppressa & omnibus telis Sana, mundi & carnis est exposita: Ne igitur fides nostra turbetur, ideò Christus suum corpus & sanguinem nobis præbet, ut hoc pignore certos nos reddat, fore, ut aliquando conformemur corpori ipsius glorioso. Sextò, Novum Testamentum est fœdus gratiæ in remissione peccatorum, hoc fœdus erga DEUM sancitum est & confirmatum effusione sanguinis Christi: Ut igitur certi esse possimus, nos in fœdere isto perpetuò mansuros, ideò illum ipsum sanguinem, cujus effusione id sancitum est, in Cœna nobis exhibet. Septimò. Instituta est sacra cœna in recordationem beneficiorum Christi & in confirmationem fidei. Quia autem vera fides firmius à Christo apprehenditur, quàm Christum apprehendit Phil. 3. v. 12. Ideo apprehensione vivificæ suæ carnis vult in nobis exuscitare, conservare & confirmare veram sui recordationem. Octavò, Christus in cœna, eâ Naturâ, qua caput nostrum est, corpore sc: & sanguine suo, se arctissimè nobis conjungit, ideò per assumptam illam & nobis cognatam Naturam potenter & efficaciter in credentibus operabitur, ut, quia ipsum caput est in nobis, nos etiam invicem simus alter alterius membra.

9. Arg. II. Memoria est rerum absentium. Cœna est instituta in commemorationem. E. & I. Oecolampadius rectè: memoria sæpe rerum est præsentium, sicut & Poëta dicit: Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto. 2. Arist. de mem. c. 1. Memoria est præteritorum, possunt tamen nihilominus rerum illarum species esse præsentis, sed non sensui, sic clausis oculis possum recordari præsentis hominis. 3. Populus Domini sæpius jubetur recordari DEI sui, Pii sæpè orant: Domine memento mei, Ergone Deus absens? 4. Cœna instituta est ad Christi commemorationem. Hoc facite in mei commemorationem, dicit Christus: (non solum in corporis commemorationem) Ergone Christus à cœna absens? 5. Arca fœderis in U. T. nubes in deserto erat memoriale DEI verè præsentis. 6. Et DEUS ipse notanter dicit, Exod. 20. v. 24. In omni loco, in quo memoriam nominis mei instituero, veniam ad te & benedictam tibi. 7. Prima cœna præsentem Christum habuit, si ergo necessario

ex voce commemorationis infertur absentia corporis, tūm aut negandū fuerit Christum in Cœnæ institutione discipulis assedisse, aut commemorationis vocem fuisse supervacua. 8. Salutaris Cœnæ fructus verbis illis Christi describitur, is substantiæ opponi non debet.

10. Arg. III. Caro non prodest quicquam. Joh. 6. *ἔ. ι.* Synodus Ephesina anathemate ferit eos, qui negant carnem Christi esse vivificā. 1. in ipso illo loco Christus testatur, quod carnem suam det pro mundi vita v. 51. quod manducantes carnem suam & bibentes sanguinem suum habeant vitam æternam. v. 54. 3. Christus non dicit: Caro mea non prodest quicquam, quin potius contrarium dicit. v. 55. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, scilicet nutriens ac vivificans ad vitam æternam. 4. Christus nihil instituit sine certo fine, atqui instituit sacramentalem carnis suæ manducationem. 5. loquitur ergo hoc in loco non de sua carne, sed de carnali intellectu, ut docet oppositio, & omnes textus circumstantiæ. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quicquam. August. tract. 27. in Joh. tom. 9. p. 48. O Domine, Magister bone, quomodo caro non prodest quicquam, cū tu dixeris: nisi quis manducaverit carnem meam & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: an vita non prodest quicquam? quid est ergo, Caro nō prodest quicquam? caro non prodest quicquam: sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur: & postea: Si caro nihil prodesset, verbum caro nō fieret, ut inhabitaret in nobis: Si per carnem nobis multū profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Chrysoft. hom. 46. in Joh. Quid est, caro non prodest quicquam? non de ipsa carne dicit, absit: sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur, & de carnali auditu. 6. concedimus, sacramentalem carnis Christi manducationem absq; spirituali nihil prodesse, at num propterea sacramentalis manducatio neganda?

11. Arg. IV. Omne corpus naturale est visibile: corpus Christi in cœna non videtur. Ergo non adest ibi. *ἔ. ι.* aër inter objecta visus ab Aristotele non est numeratus, quomodo ergo omne corpus naturale visibile? 2. visibile autem est quodlibet corpus potentiā, non semper actu. 3. fides est argumentum rerum non apparentium Hebr. ii. v. i. Beati qui non vident & credunt Joh. 20. v. 29. sequantur alii suos sensus, nos innitemur verbis Christi. 4. præposterè à ratione corporis naturalis ad rationem corporis glorificati argumentum ducitur: inter objectum, quod est corpus *πνευματικόν*, & inter instrumentum visus, quod est oculus terrestris, nulla analogia: 5. multo absurdus à proprietatibus corporis naturalis argumentum ducitur contra prærogativas corporis Christi in hypostasi Filii DEI assumti & ad dextram DEI eVecti. 6. Christus per medios Nazarenos transibat, cū de monte illum præcipitaturi erant. Luc. 4. v. 30. abscondebatur se & exibatur de templo, cū ludæi lapides tolle-

rent. Johan. 8. v. 59. in convivio Emahuntico invisibilis factus est, Luc. 24. vers. 31.

12. Arg. V. 2 Cor. 5. v. 16. Jam non novimus Christum secundum carnem. E. Nec nos debemus Christum in cœna quærere secundum carnis præsentiam. R. 1. sensus dicti Apostolici patet ex contextu: Quamvis multi etiam ex ipsis Apostolis in Christo carnalia commoda quæsiverint, quippe quem Regem mundanum fore credebant, tamen jam depositâ falsâ & carnali opinione non carnalia, sed spiritualia & æterna beneficia in Christo quærimus. 2. alij sic explicant, quòd Apostolus dictum hoc opponat illis, qui nihil excellentius de Christo judicabant, quam sicut ex infirmitate carnis Christi, tempore exinanitionis æstimare poterant, sicut & alibi status exinanitionis vocatur dies carnis Christi. 3. Si de corpore Christi locus ageret, sequeretur, Christum post resurrectionem non ampliùs habere veram carnem, quia eo modo cognoscamus Christum, quomodo Apostoli eum cognoverunt. 4. Ipse Calvinus agnoscit ex hoc loco non rectè duci argumentum contra præsentiam corporis in cœna.

13. Arg. VI. Si quis dixerit vobis, Ecce hîc est Christus, ecce illic, nolite credere E. R. 1. eadem ratione sequeretur, non esse docendum, quòd Christus in cœlo sit. 2. nec dicendum fuerit Christum habitare in cordibus credentium. 3. sententia dicti manifesta est: prædicat Christus ante vastationem Hierosolymitanam multos exorturos, qui titulum Messia sibi vendicaturi sint & externam liberationem à Romanorum oppressione populo promissuri: præmonet igitur suos, ne ullum alium præter se Messiam amplectantur. 4. Luc. 17. v. 21. Christus de regno suo loquitur, quod nulli certo loco alligatû, quodq; externâ & visibili majestate non agnoscitur: Non dicent, Ecce hîc, ecce illic: cave tamen inde inferas, procul remotam regni hujus præsentiam, mox enim addit Christus: Regnum DEI intra vos est.

14. Arg. VII. Coloss. 3. v. 1. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus ad dextram Patris. R. 1. Apostolus disputat contra falsam Philosophiam, contra traditiones hominum, & Ceremonias Leviticæ morte Christi abrogatas & hæc vocat Elementa mundi, & quæ super terram sunt: addit insuper se veterem hominem cum concupiscentiis intelligere per ea, quæ super terram, atq; his opponit ea, quæ sursum sunt. 2. inter ea, quæ sursum sunt, numerat novum hominem, agnitionem DEI, caritatem, pacem DEI in cordibus nostris, verbum DEI, &c. non ergò intelligit sursum de loci intercapedine, q: scilicet ista omnia à nobis in terra versantibus procul semora sint atq; sejuncta. 3. contextus Apostolicus potiùs repugnat argumento adversariorum. Sapite, inquit Apostolus, non quæ super terram, id est, res divinæ nō sunt æstimandæ ex ratiocinationibus humanis sed ex scriptura. Chrysost. homil. 5. super 1. Cor. Ex Philosophia res divinas intelligere, est candens ferrû, non forcipe sed digitis contrectare. Quare Philosophica argumenta non sunt opponenda verbis Christi.

15. Arg. VIII. Quicquid intrat in os, in ventrem vadit & per secessum ejicitur. Matth. 15. E. R2. 1. Christus de externis, corporalibus & naturalibus cibis loquitur, quos per secessum ejici pronunciat, usitato sc: Naturæ ordinæ. 2. Ergone sapientia filij DEI non novit & potentia ipsius non valet efficere, ut corpus ejus in cœna manducando accipiatur aliâ supernaturali & cœlesti ratione? 3. adde quod pronunciatum Christi etiam de naturalibus cibis non est universaliter accipiendum. Lombardus quidem 2. sent. dist. 30. lit. N. O. negat alimentum verè in substantiam verti: potius tamen cum Thom. p. 1. q. 119. art. 1. Scoto 4. dist. 44. q. 1. Alb. p. 2. summæ de homine & aliis Philosophis ac Medicis asserendum, alimentum revera induere substantiam nutriti, quod docuit Arist. 1. de gener. & corr. c. 5. & ex eo probari potest: major quantitas naturaliter acquiritur vel extensione vel affusione novæ materiæ: sed non extenditur tantùm quod augmentatur, aliàs rarefieret. Ergò apponitur ei nova materia, quæ necessariò speciem nutriti induit. Sensus ergo verborum Christi non est, Omne, quod assumitur, in secessum emitti, sed aliquid ex omni, quod assumitur, explicante Lyra.

CAPUT. VI. in quo consistat manducatio & bibitio Sacramentalis.

1. Sententia nostra est, manducationem sacramentalem non esse Physicam aut naturalem, quia Naturalis manducatio pro objecto habet solum cibum naturalem ad corporis nutritionem: multò minus esse Capernaiticam, quam verè & ex animo detestamur: neq; esse absolutè spiritualem, quia merè spiritualis pro objecto habet cibum merè spiritualem. Dicimus autem in sacra Cœna neq; panem solum sive seorsim, neq; corpus Christi solum sive seorsim, sed cum pane corpus Christi manducari: neq; vinum solum sive seorsim, neq; sanguinem Christi solum, sed cum vino sanguinem Christi bibi, nempe propter mysticam & sacramentalem panis & corporis, vini & sanguinis Christi unionem, quæ à veracis & omnipotentis Christi institutione dependet, humanâ autem ratione comprehendi nec potest, nec investigari debet.

2. Arg. I. Verba Cœnæ substantialia accipienda sunt in propria & nativa cœnæ significatione. Verba illa, Edite, Bibite sunt substantialia E. in propria & nativa significatione accipienda: Si quis Minorem negare velit, afferenda huc sunt argumenta, quæ confirmant, Sacramentorum genus esse actionem. Quicquid ipsa scriptura definit verbis activis, id est, actionem requirentibus, & quod habet suum esse in actione, & sine actione esse nequit, illud verè & propriè est actio. Sacramenta talia sunt. E. verè & propriè sunt actiones. Rectè Petrus Martyr classe 4. locor. comm. c. 10. §. 36. Sacramenta tota in actione consistunt, quâ sublatâ non amplius sunt Sacramenta.

3 Arg.

3. Arg. II. Manducatio sacramentalis responderet unioni sacramentali. Atqui unio Sacramentalis ita comparata est, ut panis in usu cœnæ sit medium & organum, per quod communicetur corpus Domini. E. etiam manducatio sacramentalis ita est comparata, ut cum pane accipiatur corpus Domini, cum vino sanguis Domini.

4. Arg. III. Ubiq; verbum edendi de pane, & bibendi de vino dicitur, significatio ejus est propria & nativa, quia actio prædicatur de objecto suo proprio. In sacra cœna verbum Edendi de pane, Bibendi de vino (tametsi non solis) dicitur. E. est significatio verbi propria & nativa.

5. Arg. IV. Una eademq; est significatio verbi bibendi in mandato Christi, & in mandati ejus executione: absit enim ut dicamus, aliud mandasse Christum, aliud fecisse Apostolos. Atqui in executione istius mandati verbum Bibendi accipitur propriè: Et biberunt ex eo omnes, id quod per se patet, & confirmatur exemplo Judæ proditoris, quem Sacra cœnæ interfuisse ex scripturis pleriq; Patres colligunt. E. etiam in mandato Christi verbum bibendi accipitur propriè. Vicissim quæ est ratio partis posterioris, ea etiam prioris & sic verbum manducandi etiam propriè accipitur.

6. Argum. V. Talis significatio verbi edite & bibite in verbis cœnæ statuenda est, quæ etiam competat indignis 1. Cor. II. v. 27. Metaphorica manducatio non competit indignis. E. Eam oportet esse significationem verbi edite & bibite in cœna, quæ discernat manducationem sacramentalem à merè spirituali, quia spiritualis est fructus cœnæ, & proponitur in illis verbis Christi: hoc facite in mei commemorationem. Atqui significatio metaphorica non discernit manducationem spirituales à sacramentali. E. Fructum cœnæ oportet esse distinctum ab ejus substantia: Manducatio & bibitio merè spiritualis est fructus cœnæ. E. Media ad finem ducentia sunt distincta à fine. Finis manducationis sacramentalis tanquam medi divinitus ordinari est manducatio fidei. E. Spiritualis manducatio non distingvit corpus & sanguinem Christi, sed uno actu fertur in totum Christum. Sacramentalis manducatio distingvit, quia sub pane manducat corpus, sub vino bibit sanguinem Christi. E. Nullum externum Elementum percipitur fide, sed organo corporis. Sacramentalis manducatio versatur non tantum circa corpus Domini, sed etiam circa externum Elementum sc. panem. E. Manducatio spiritualis fit tantum ad salutem, manducatio sacramentalis fit etiam ad judicium. 1. Cor. II. v. 29. Manducatio spiritualis est omnium temporum etiam V. T. Manducatio sacramentalis instituta in N. T. E. Sine spirituali manducatione nemo salvatur. Absque sacramentali multi scilicet infantes & adulti fideles in casu necessitatis. E. Nulla forma potest abesse à re cujus est forma: Fides potest abesse à sacramentali manducatione, nihilominus integro manente Sacramento. E. Hæc omnia & singula probant sacramentalem manducationem non posse ex cap. 6. Johannis explicari, quippe

quippe in quo sola spiritualis & metaphorica manducatio proponitur. Calvin. super Johan. 6. Perperam totus hic locus de cœna accipitur, quæ nondum erat instituta. Perkinsus in Cathol. reform. contr. 10. cap. 4. p. 222. Herb. Caput Johannis sextum non debet intelligi de peculiari illa manducatione, quæ fit in cœna, sed in genere de omni manducatione & fruitione Christi, quæ fit etiam extra usum cœnæ.

7. Pertinent hûc Patrum dicta. Tertull. lib. de resurrect. Caro nostra corpore & sanguine Christi pascitur, ut anima de Deo saginetur. Iren. lib. 5. cap. 4. Quomodo negant carnem nostram esse capacem donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ tamen corpore & sanguine Christi nutritur? lib. 4. cap. 34. Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? August. Epist. 118. placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tantî Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. 1. 2. contra adv. leg. c. 9. Mediatorem DEI & HOMINUM JESUM CHRISTUM carnem suam nobis manducandam, sanguinemq; bibendum nobis danem fidei corde atq; ore suscipimus. Theodoret. lib. 6. Hist. c. 18. refert verba Ambrosii ad Imp. Theod. Quâ temeritate ore tuo poculum sanguinis preciosi percipies, quando furore verborum tuorum injustè est effusus sanguis. Leo serm. 6. de jejun. Hoc ore sumitur, quod corde creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod creditur, disputatur. Chrysostr. homil. 29. in 2. Cor. Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Dominicum. homil. 27. in 1. Cor. p. 567. hæc facis Christi mensâ excepto illo die, quo dignus habitus es, qui ejus carnes linguâ tangeres: quicumq; sis ergo, ne fiant hæc, manum expurga & castiga linguam & labra, quæ ingressus Christi fuere vestibula.

Gregor. hom. 22. pasch. Quid sit sanguis Agni jam non audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumq; postem ponitur, non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

8. Eorum, qui Calvinum sequuntur, sententia est, solum panem ore accipi, corpus autem & sanguinem Christi non nisi fide percipi. Arg. I. Nulla est propria manducatio, quæ non sit physica sive naturalis. Si ergo corpus Christi in cœna editur propriè, utiq; etiam naturaliter. R. I. mutatur status quæstionis: quæstio est de proprietate vocis grammatica, argumentum concludit de proprietate rei Physicæ: ex vocis proprietate observata non rectè processus fit ad proprietatem rei Physicæ. E. g. generatio verè & propriè dicitur de filio DEI ab æterno à Patre genito (si enim non esset vera generatio, λόγος non esset verè genitus & per cons. non esset verus filius) inde tamen non inferri debet, generationem filij DEI esse Physicam, qualis est generatio hominum. 2. non concedimus omnem manducationem, in propria significatione acceptam, esse physicam. Angeli leguntur edisse & bibisse, quæ certè vera fuit mandu-

K

catio

eatio non tropica, interim Physicam fuisse nemo dixerit. 3. Christus post resurrectionem manducavit, teste Petro Act. 10. v. 41. Si tropicè manducavit, non ergò probavit resurrectionis veritatem: neq; tamen dicendum, quòd fuerit manducatio naturalis, quia corpus Christi post resurrectionem fuit spirituale & gloriosum. 4. Veteribus usitata est collatio unionis sacramentalis cum unione personali, quam & hùc afferemus. Filius DEI natus est ex muliere, Gal. 4. v. 4. ideò Maria gestavit, lactavit, educavit ipsum DEUM, ubi verbum gestandi, educandi accipitur propriè, affer jam argumentum. Nulla gestatio, lactatio, educatio propriè dicta nisi naturalis est, facies ex mysterio rem naturalem. 5. Si quis planè comprehendere nequit, manducari aliquid propriè ore naturali, & tamè nò naturaliter, is secum perpèdat Spiritum S. descendisse verè & propriè in specie columbx nò tamen localiter: semper res distingvenda à rei modo. 6. manducatio sacramentalis oritur ex unione sacramentali, ut ergò modò unionis sacramentalis soli DEO cognitus, nostræ rationis angustiis incomprehensibilis est, ita etiam modus manducationis sacramentalis. Item, quemadmodum nemo nostrum intelligit, quomodo Angeli in assumpta corporis forma comederint, quomodo Christus post resurrectionem comederit, ita quoq; agnoscamus manducationem illam sacramentalem esse mysterium ratione humanâ longè augustius, quod miremur non rimemur.

9. Arg. II. Edere non potest propriè accipi, aliàs corpus Domini frangeretur dentibus & 1. auferantur tandem talia rationis cœcæ figmenta ex mysteriis fidei. 2. non omnis vera & propria manducatio necessariò includit comminutionem per dentes, sed solummodò naturalis, quid quòd ne naturalis quidem manducatio eam semper includit. 3. Vox edendi non purè univoce, nec æquivoce, sed analogicè, id est, secundum prius & posterius prædicatur, de pane sc. non tantum ut primo subjecto, sed etiam *πρώτως ἢ ἀμέσως*, de corpore Christi *κατ' ἄλλο, ἐπομένως, ἐμμέσως* scilicet propter unionem mysticam. 4. Num etiam ad manducationem Christi post resurrectionem applicabimus hoc argumentum, quòd & ipse assumptum cibum dentib. comminuerit, deglutierit concoxerit? &c. quantò modestiùs Cyrillus lib. de Trinit. Post resurrectionem comedit Dominus & verè comedit non secundum phantasiam, sed Oeconomiam; cibum verò modo decenti, quem ipse novit, distribuit. 5. Christus corpore & sanguine suo totum hominem pascit (sicut etiam totus homo in baptismo regeneratur) verum non cibo aliquo naturali, neq; ad hanc vitam, sed ad vitam æternam, ideoq; absit, ut naturalis manducationis proprietates hùc somniemus. Justinus Apolog. 2. Cibus ille Eucharisticus per concoctionem aut alterationem non usurpatur, sed mortalitatem corporum nostrorum mutat in suam Naturam, hoc est, immortalitatem vitam & gloriam. Greg. Nyssen: orat. catech. c. 36. Quæ admodum parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic & corpus il-

pus illud, quod à D^{no} factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens, totum in se transfert atq; commutat. Augustinus alicubi in Christi persona dicit: Cibus sum grandium, manducabis me, nec tamen mutabis me in te, sed tu mutaberis in me.

10. Arg. III. Verbum Edendi accipiendum propriè respectu panis, tropicè respectu corporis, quia corpus Christi propriè edi non potest. & 1. principium petitur, quòd enim Christi corpus mediante benedicto pane non possit manducari, est signum rationis contra institutionis verba 2. *διελότης* illa significationis in una voce ex verbis Institutionis elici nequit. 3. nullum verbum in uno eodemq; simplici axioma potest sustinere duplicem significationem, propriam & peregrinam: inde enim enascerentur plures notiones quàm duæ, & sic non amplius esset axioma simplex. 4. Quemadmodum sacra cœna est unum Sacramentum, non duo, quia scilicet est ibi rei terrenæ & cœlestis unio sacramentalis, ita verba sacramentalia non habent duplicem, sed unam significationem, tum unioni sacramentali, tum unitati Sacramenti respondentem. 5. manducatio illa fertur in panem & corpus Domini, non quatenus se juncta, sed quatenus sacramentaliter unita, quia panem & corpus Domini non possum hîc considerare tanquàm duo separata, aliàs periret Sacramentalis unio. 6. Si panis editur propriè, & corpus metaphoricè, perit illa superius comprobata sacramentalis panis benedicti & corporis Christi verè præsentis unio, ac pro una manducatione substituitur duplex. 7. afferenda hîc sunt omnia argumenta, quæ probant necessariò aliam, quàm metaphoricam ac spiritualem corporis Christi in Cœna manducationem statuendam. 8. afferimus & hîc illustrationis gratiâ, unionem personalem. Quæ de Christo dicuntur, non accipiuntur propriè respectu unius, tropicè respectu alterius Naturæ, sed significatione unâ propriâ propter personæ *πρωτότητα*: Idem iudicium de verbis cœnæ propter unionem Sacramentalem.

11. Arg. IV. Cibus spiritualis non potest percipi ore corporis. Christi corpus est cibus spiritualis. & 1. Negamus Majorem: Spiritus sanctus an non essentia spiritualis? & tamen habitat in corporibus nostris. 2. Regeneratio est res spiritualis, & tamen non sola anima, sed totus homo regeneratur. 3. Si major est apodictica, erit etiam reciproca. Cibus spiritualis non potest percipi ore corporis: & res corporea non potest percipi ore spirituali: quia ut se habet objectum spirituale ad os corporis, ita se habet objectum corporeum ad os spirituale: Jam subsumimus. Christi corpus est verum corpus. Ergò non potest percipi spiritu, vel ore cordis: ubi ergò manet tantoperè ab illis deprædicata manducatio spiritualis? (quam tamen nos suo loco non negamus, sed ad fructum Cœnæ referimus) 4. res ita se habet: cibus spiritualis non accipitur ore corporis sc. immediatè & absolutè, ideò spiritualis manducatio carnis Christi sit fide, sacramentalis autem mediante pane.

12. Arg. V. Oralis manducatio est Capernaitica. & absit à piis auribus & mentibus. Primum discrimen est in ipso manducationis objecto. Capernaitica manducatio respicit carnem nudi hominis: talem .n. putabant Capernaitæ esse Christum, talis nudi hominis caro non potest utiliter manducari: sacramentalis manducatio habet pro objecto carnem vivificam filij DEI. Alterum discrimen consistit in eo, quòd Capernaitæ talem manducationem somniabant, in qua unus quidem hanc, alius v. illam corporis partem acciperet, donec totum corpus absumentum esset: talem blasphemiam Ecclesiæ nostræ sonorâ voce damnant, & docent convivii hujus cœlestis hospites corpus Christi totum & indivisum accipere, juxta dictum Antiquitatis: Sumit unus, sumunt mille, quantum iste, tantum ille: nec sumtus absimitur. Tertiò: Capernaitæ somniabant naturalem carnis manducationem, qualis est carnis in macello venditæ: nos statuimus modum manducationis supernaturalem, invisibilem, spiritualem, mysticum, incomprehensibilem.

13. Arg. VI. Si corpus Christi manducatur mediante pane, sanguis ejus bibitur mediante vino, introducitur separatio corporis & sanguinis Christi. &. 1. ergone rationis decempeda immensos religionis nostræ agros emetiri conabimur? ergone summa fidei mysteria prius intelligere quàm credere velimus? 2. nec separationem aliquam nec divulsionem corporis & sanguinis Christi introducimus, sed asserimus distinctè sub pane corpus, sub vino sanguinem Christi juxta institutionis verba dari, DEO modum committimus. 3. explicent nobis, quomodò finita Christi humana Natura infinita ὑποστάσεως λόγος particeps facta, quomodo Christus secundum humanam Naturam in summam illam sublimitatem dextræ DEI evectus?

14. Arg. VII. Omnis promissio accipitur fide. Corpus & sanguis Christi in Cœna offeruntur verbo promissionis. E. non nisi fide accipiuntur. &. Dn. Chemn. distinguit inter promissionem & rem promissam. Promissio accipitur fide, res promissa sæpè etiam corpore seu corporali instrumento recipitur, ut sanatio, panis quotidianus, &c. promissio SS. accipitur fide, num ergo falsum, quòd in specie linguarum ignearum sederit super Apostolos? Ut argumentum evadat manifestius, sic distinguimus: Verbo promissionis aut intelligitur ipsa ordinatio Christi & sacra cœnæ institutio, ac tum significatio est catachrestica, aliter etiam promissionis vox accipitur in majore quàm in minore: aut verbum promissionis accipitur strictè, ac tum distinguendum inter substantiam cœnæ & ejus fructum: ad substantiam pertinet panis & vinum, corpus & sanguis Christi: ad fructum applicatio beneficiorum Christi, id est, manducatio spiritualis. Promissio respicit fidem seu fructum, propter quem sacra Cœna instituta. Corpus & sanguis Christi quatenus illud mediante pane benedicto manducandum, hic verò mediante vino benedicto bibendus in cœna exhibentur, non pertinent ad fructum cœ-

122,

næ, sed ad ipsam substantiam, hætenus ergò neganda assumtio, quia corpus & sanguis Christi offeruntur verbo institutionis, ordinationis seu dispositionis Christi. Alii argumentum ita formant. Nulla est alia communicatio corporis Christi in cœna, quàm in Evangelij promissionibus, Atqui promissiones Evangelicæ saltèm spirituales corporis Christi communicationem proponunt. E. At minor petit principium, quia sacramenta sunt sigilla Evangelicarum promissionum: jam v. sacramentum cœnæ non nudo pane & vino sed ipsius corporis & sanguinis Christi exhibitione Evangelicas promissiones nobis obsignat, Ergo etiam sacramentalis manducatio corporis, & bibitio sanguinis, ab Evangelio excludenda non est.

CAPUT VII. de manducatione indignorum.

1. Sententia nostra est, indignos cœlestis hujus convivij hospites non solum panem, nec solum vinum, sed etiam corpus & sanguinem Domini accipere, verùm ad suum judicium: per indignos intelligimus eos, qui sine vera pœnitentia, sine vera in Christum fide accedunt, & in peccatis contra conscientiam securè perseverant.

2. Arg. I. ex I. Cor. II. v. 27. Quicumq; manducant benedictum illum panem (qui est communicatio corporis Domini) indignè, rei sunt corporis Domini. Quicumq; bibunt calicem benedictum (qui est communicatio sanguinis Domini) indignè, rei sunt sanguinis Domini. Indigni, id est, impœnitètes & increduli manducant benedictum panem indignè, & bibunt benedictum vinum indignè. E. rei sunt corporis & sanguinis Domini, & per consequens, manducant corpus & bibunt sanguinem Christi.

Bucerus excipit, indignos hîc intelligi infirmos in fide, cùm postea dicatur quòd dormiant, quæ phrasis solis piis convenit. R. 1. cùm Christus non rejiciat infirmos in fide, sed recipiat, Rom. 14. v. 3. cùm infirmos Medico egere pronunciet, Matth. 9. v. 12. cùm virtutem suam in infirmitate perficiat 2. Cor. 12. v. 9. cùm oneratis refectionem spondeat, Matth. 11. v. 27. quomodò severa illa comminatio Apostolica vibrari poterit in infirmos in fide? 2. De indignis Apostolus pronunciat, quòd judicium sibi accersant: at, qui credit (fide etiam languidâ) is non venit ad judiciû. Jo. 3. v. 24. 3. Sacramentum hoc institutum ad fidei confirmationem & spiritualem nutritionem, quomodò ergò infirmi in fide indignè manducabunt? 4. si per indignos intelliguntur infirmi in fide semper erit piis dubitandum, an ad hoc convivium satis magnum fidei robur afferant, & sic interdum satius esse judicabunt, abstinere ab hoc salutari cibo. 5. etiã minima fides, scripturâ teste, Christum petram apprehendit, & in Christo gratiam Dei ac vitam æternam. Pertinet hîc similitudo Dn. Lutheri:

Idem annulus apprehenditur à puerulo & gigante, licet ab hoc fortiùs, ab illo infirmiùs: ita fides, sive fortis, sive languida, eundem Christum apprehendit. Cruciger senior moriturus rectè dicebat: Invoco te Domine **JESU** fide languidâ, sed tamen fide. Matth. 17. v. 20. dicit Christus ad discipulos: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc & transibit, & nihil impossibile erit vobis. 6. quòd ex indignis istis quidam dormire dicuntur, accipi potest de illis, qui pœnitentiam egerunt, antequam ex hac vita discederent. 7. quid quòd etiam de impiorum morte quandoq; scriptura dicit, quòd sit somnus. Dan. 12. v. 2. 1. Reg. 14. v. 20. & 31. ac passim alibi, idèd 1. Cor. 15. v. 18. notanter de piis dicitur, quòd dormiant in Christo.

Beza & alij excipiunt: Etsi indigni rei fiant corporis & sanguinis Domini, tamen inde non sequi, quòd manducant corpus, & bibant sanguinè Domini, sed fieri id propter sacrorù symbolorum abusum, sicut in ipsum Regem peccat, qui sigilla ejus lædit. **R.** 1. nota contradictionem: si .n. per indignos intelliguntur infirmi in fide (quod vult Bucerus) illi non abutuntur sacris symbolis: vicissim si illi, de quibus loquitur hoc in loco Apostolus, non manducant corpus nec bibunt sanguinem Domini (quod vult Beza) Ergò infirmi in fide non manducant corpus, nec bibunt sanguinem Domini. 2. glossa hæc adèd placuit quibusdam, ut ipsi contextui Biblico (minoribus tamen characteribus) eam inserere non fuerint veriti. Edita sunt Biblia Francof. Anno 91. in quibus locus Apostolicus ita redditur: Qui manducant indignè, rei fiunt spreti corporis &c. ut significarent reatum contrahi, nò manducado sed spernendo corp⁹ Christi.

3. Reatus ille quomodò contrahatur, non ex nostro cerebro, sed ex verbis Apostoli definiendum. Docet autem Apostolus, causam illius esse indignam manducationem: Gravitas ergò istius reatus oritur aut ex indigna manducatione solius panis Elementaris, & indigna bibitione solius vini, vel ex indigna manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi: Prius non: quia notanter dicit Apostolus, quòd indigni edant de pane hoc, de quo antea dixerat, quòd sit communicatio corporis Domini, & bibant de calice hoc, de quo antea dixerat, quòd sit communicatio sanguinis Domini. v. 29. addit etiam Apostolus causam, quare indigni sibi iudicium manducant & bibant, quia non dijudicant corpus Domini; *ἀδυναμία* ergò non respicit solum panem & solum vinum sed ipsum corp⁹ ac sanguinè Domini. Illum cibū, qui in sacra cœna proponitur, vult ab aliis cibis omnibus ita discerni, ut hic cibus dijudicaretur esse corpus Domini. Pertinent hūc, quæ Dn. Chemn. de cœna c. 9. p. 262. disputat de voce *ἕνεκα*, sc. quando ei in constructione aliquid additur, id vel supplicij genus exprimere, vel rem illā, cujus violatione obligatio ad pœnam contrahitur. Et notanda est particula illativa, *ὥστε*, quæ ostendit ex verbis institutionis dependere, quare indignā manducatione iudicium contrahatur, quia sc. de pane illo filius **DEI** pronunciat, quòd

quod sit suum corpus. 4. Si ea ratione reatum istum contraherent indigni, quemadmodum qui violant diplomata, aut insignia regia, potuisset Apostolus dicere, quod rei fiant Christi: jam v. distinctè & notanter pronunciat, quod rei fiant corporis & sanguinis Christi, describitur ergo talis reatus, qui secundum distinctas humanæ Naturæ Christi partes distinguitur, ita sc: ut indignâ manducatione benedicti panis reatus corporis, indignâ bibitione benedicti vini reatus sanguinis contrahatur.

3. Arg. II. Sacramentum Cœnæ constat pane & corpore Christi, vino & sanguine Christi, sacramentaliter unitis. Indigni percipiunt integrum Sacramentum. Ergò percipiunt non solùm panem, sed & corpus Christi, non solùm vinum, sed & sanguinem Christi. Si non accipiunt integrum Sacramentum, sequetur 1. indignis in Ecclesia partem solùm Sacramenti dispensari. 2. fidem utentis constituere Sacramenti substantiam. 3. unionem sacramentalem non dependere à virtute institutionis divinæ, sed fidei nostræ. 4. manducationem indignorum non esse sacramentalem. 5. indignos contrahere reatum æterni iudicii solius Elementaris panis manducatione.

4. Arg. III. Fides non pertinet ad substantiam Eucharistiæ. E. propter fidem accedentium panis non est communicatio corporis Domini, nec propter incredulitatem accedentium panis definit esse communicatio corporis Domini. Antecedens patet. 1. quia sacramentorum veritas atq; integritas pendet ex institutione Dei, quæ incredulitate nostra nõ redditur irrita. Rom. 3. v. 3. 2. Sacramenti essentia tota absolvitur re terrenâ & cœlesti, ejusdemq; administratione. 3. fides ad salutarem usum spectat, non ergo ad essentiam. 4. si fides pertineret ad substantiam Eucharistiæ, idem de Baptismo dicendum foret, & sic hypocrita adultus, si baptizaretur, esset rebaptizandus. 5. fides confirmatur sacramento. E. ad ejus essentiam non pertinet. 6. illa est essentia & forma cujusq; rei, per quam est id, quod est, & ab aliis distinguitur: per fidem sacramentum non est sacramentum, neq; unum sacramentum ab alio distinguitur. 7. par est ratio quantum ad constitutionem essentialem sacramenti, inter intentionem seu fidem dantis & accipientis Sacramentum. Atqui intentio seu fides dantis non est pars sacramenti essentialis. E. nec fides accipientis. 8. hinc August. 3. contra Donat. c. 14. Non interest, cum de Sacramenti integritate quæritur atq; sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum, & perversam fidem.

5. Pertinent hûc dicta Patrum. August. tract. 26. in Johann. Sacramentum de mensa Dominica à quibusdam ad vitam sumitur, à quibusdam ad exitium, res v. ipsa, cujus est Sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium sumitur. Observandum hoc loco, quod res sacramenti in duplici significatione ab Augustino usurpatur, quandoq; .n. per eam intelligit rem cœlestem, partem Sacramenti alteram, quandoq;
verò

verò salutarem Sacramenti fructum. lib. 9. contra Fulg. Judas proditur bonum Christi corpus, Simon Magus bonum Christi baptisma percepit, sed quia bono benè usi non sunt, n. ali malè vivendo deleti sunt.

Epist. 162. Tolerat ipse Dominus Judam, & sinit accipere inter innocentes discipulos, quod norunt fideles, precium suum. Contra Donat. post coll. c. 20. Boni & mali simul manducant corpus & sanguinem Christi, sed cum magna distinctione, isti in misericordiam, illi in judicium. lib. 5. contra Donatist. c. 8. Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisquè sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim & sanguis Domini nihilominus etiam erat iis, quibus dicebat Apóstolus, qui manducat indignè, judicium sibi manducat & bibit. Gregor 1. 4. Dial. Est quidem in peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro, & verus Christi sanguis, sed essentiâ, non salubri efficientiâ. Theodor. super 1. Cor. 11. Non solùm Apóstolis, sed & Judæ proditori, preciosum corpus & sanguinem impertit Dominus Bernh. serm. de cœna. Comestio sacramentalis, quantum ad visibilem speciem & ad corporis Christi veritatem, convenit bonis & malis communiter. De mod. benè vivendi ad sororem serm. 28. Alius carnem Christi spiritualiter manducat, & sanguinem bibit, alius verò non, sed tantùm sacramentum, hoc est, corpus Christi sub sacramento, & non rem sacramenti. Qui cū Juda proditore corpus Christi accipit, cum Juda condemnatur. Ipse Aretius part. 1. probl. 82. p. 1006. citat græcos ψ̄ siculos. *Ἡ εὐχὴ αἵμα φρίξον ἄνθρωπε βλέπων, Ἄνθρωξ γὰρ ἐστὶ τοὺς ἀναξίους φλέγων.*

6. Sententiâ eorum, qui Calvinum sequuntur, est, indignos nihil præter externa symbola in cœna accipere. Arg. I. Caro Christi est vivifica: At indigni ex usu cœnæ non vivificantur. R. 1. alibi negant, carnem Christi esse vivificam. 2. non propterea indigni non manducant corpus Domini, quia non vivificantur, sed quia indignè manducant, idè non vivificantur. 3. Christus non solùm credentium vita, sed & incredulorum ac impœnitentium iudex: probet ergò se homo, & sic de pane isto edat. 4. prædicatio Evangelii quibusdam est odor vitæ, quibusdam v. odor mortis 2. Cor. 2. v. 14. propriâ sc: eorum culpâ: sic corpus Christi quidam accipiunt ad vitam, quidam ad judicium. Vita piis erit, atq; eadem mors fontibus esca, Uno eodemq; salus fluit atq; ex fonte venenum. Hier. Vida in hymno de Euch. p. 72. Ex rosa apis mel colligit, aranea suum virus. 5. Deus est ipsa vita, & tamen impij non vivificantur spiritualiter, etiamsi in Deo sint & moveantur. Est & manet corpus Christi vivificum, etiamsi impœnitètes & incredulos non vivificet. 6. posset & hûc afferri distinctio inter causas naturaliter & voluntariè agentes: priores non possunt suspendere actionem, benè tamen posteriores. Joh. 5. v. 21. Filius quos vult, vivificat. 7. Arg

7. Arg. II. Accipere & rejicere sunt contraria. Indigni rejiciunt suâ incredulitate corpus Domini. R. 1. percipiunt corpus Domini, quia integram Sacramenti substantiam percipiunt, corde v. non percipiunt, ratione salutaris usus. 2. verbum Dei incredulis & impœnitentibus prædicatur, qui tamen illud repellunt Act. 13. v. 46. Nobis nunciatum est, quemadmodum & illis, sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei Hebr. 4. v. 2.

8. Arg. III. 1. Cor. 10. v. 21. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. At indigni bibunt calicem Dæmoniorum. E. non bibunt Calicem Domini. R. 1. Apostolus loquitur de jure, non de facto, quia id ipsum taxat, quod de facto præstabant utrumq;: pertinet huc mos loquendi Jctis usitatus: Quæ facta lædunt pietatem, honestatem, bonos mores, &c. ea nec nos posse arbitremur. 2. non ergò agit Apostolus de eo, quod simpliciter fieri nequit, sed docet, quid piè & sine offensione DEI & bona cum conscientia fieri nequeat. 3. calix cœnæ complectitur etiam vinum, mensa Domini complectitur etiam benedictum panem. Ergone nec panis aut vini fiunt participes? 4. v. 23. additur, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 5. cap. seq. de indignis pronunciat, quòd rei fiant corporis & sanguinis Domini, ideò & inde, quia non dijudicant corpus Domini. 6. Calicem Dæmoniorum bibere aliter accipitur in Minore, quàm in loco Apostolico, qui Majoris loco ponitur.

9. Arg. IV. Illi accipiunt corpus Christi, pro quib. in mortem traditum est: At pro solis credentib. est in mortem traditum. R. 1. falsa est hypothesis. Est enim Christus agnus DEI, qui tollit peccata mundi, & Christus est propitiatio, non pro nostris solùm, sed pro totius mundi peccatis: de Universalitate hujus preciosissimi meriti plura suo loco, hac vice Majorem propositionē sic corrigimus: Illi accipiunt corpus Christi in cœna, quibus ordinavit: Atqui ordinavit omnibus panem benedictum manducantibus.

10. Arg. V. Nemo potest aliquid accipere ex Testamento Romano, nisi sit civis Romanus. Impii non sunt cives Reipublicæ Christianæ. Ergò non accipiunt aliquid ex Christi Testamento. R. 1. propositio deducta est ex jure fori humani, quod non præjudicat institutioni divinæ. 2. indigni etiam si non sint vera & viva corporis Christi mystici membra, tamen sunt membra Ecclesiæ visibilis. 3. invertimus igitur argumentum. Quemadmodum habetur pro cive Romano & legata in Testamento Romano accipit, etiam si non sit probus civis: ita indigni etiam si non sint viva invisibilis Ecclesiæ membra, tamen, quia in Ecclesia visibili adhuc locum habent, verbum & sacramenta cum Christianis veris communia habent. 4. Verbi auditus exterior communis est bonis & malis, verbi auditus interior & salutaris solis credentibus convenit: ita manducatio corporis Christi sacramentalis omnibus hujus cœlestis convivii hospitibus communis est, sed manducatio spiritualis ac salutaris solis credentibus

L

CON-



convenit. 5. idem jus obtineret in baptismo, & sic adulti hypocrytæ non perciperent integrum baptisma, ac proinde essent rebaptizandi. 6. Patres opponerent huic argumento exemplum Judæ.

CAPUT VIII. De fractione panis.

1. Sententia nostra est, fractionem non esse Ceremoniam necessariam, aut partem cœnæ essentialem. Loquimur autem de fractione propriè dicta, id est, panis in partes comminutione, quæ fit in ipsa actione seu administratione cœnæ Dominicæ: si v. fractio accipiatur pro distributione, illa utiq; necessaria est.

2. Aut urgetur fractionis necessitas propter significationem aut propter distributionem. Prius dici nequit, ut postea ostendemus. Si posterius asseritur, tùm nihil interest, sive ante administrationem cœnæ, sive in ipsa administratione adhibeatur: utrobiq; enim finis ejus obtineri potest. Sicut non necesse est, in ipsa cœnæ administratione vinum dividi in certos calices & effundi, quia sine tali effusione potest fieri distributio inter communicantes, ita fractio panis tantum fit eo fine, ut possit distribui inter manducantes & sic distributio est pars principalis. In Sacramentis distingvenda est *δόσις καὶ λήψις* à modo *δόσεως καὶ λήψεως*. *Δόσις* semper est necessaria, ut & *λήψις*, pertinent n. ad formam cujusq; sacramenti sc. ad actionem: modus *δόσεως* non semper necessarius, ut nec modus *λήψεως*. In baptismo ablutio est necessaria: an v. ablutio ista fiat asperzione sive immersione nihil interest. Item manducatio panis benedicti in cœna est necessaria, an v. panis benedictus à ministro Ecclesiæ ori vel manui communicantium detur, nihil interest, modò fiat manducatio: Pari ratione distributio panis benedicti in cœna necessaria est, an v. fractio seu divisio panis distributionem præcedens fiat in ipsa cœnæ administratione, an verò ante eam, parùm refert.

3. Videamus, quæ pro necessitate fractionis afferuntur. Arg. 1. Christus fregit & dixit, Hoc facite. & 1. ex Aretio p. 1. probl. 82. p. 998. fuit fractio panis adhuc in usu tempore Christi tam in convictu, quam in aliis Eleemofynis: ratio videtur esse, quòd Hebræi semper sint usi panibus latis & minus crassis, qui commodius frangerentur, quam scinderentur. Adhibuit ergò Christus fractionem ratione distributionis, & sic nihil derogatur institutioni Christi, etiamsi fractio in ipsa cœnæ administratione non adhibeatur, modò distributio fiat. 2. mandatum Christi referendum est præcipuè ad ea, quæ Apostoli in ipsa actione præstabant, puta quòd jubente Domino edebat & bibebant: Si transferre velis ad ea, quæ fecit Christus, distingvendum erit inter adiaphora & necessaria. 3. quemadmodum n. ex eo, quòd Christus scribitur discubuisse, cœnam celebrasse in palatio diversorii, quòd vesperi eam instituerit, non licet colligere, idem nobis necessariò faciendum, ita quoq; res se habet in fractione.

4. Arg.

4. Arg. II. Fractio illa panis significat crucifixionem Christi. *R.* I. cum huic argumento magna illa incumbat moles, ut cœnam transferant in actionem toto genere diversam, quàm est à Christo instituta (siquidem ex institutione Christi panis est medium & organum, per quod Christus manducantibus in cœna distribuit suum corpus: illi dicunt esse signum, quod significet corpus, sicut panis fractio significat crucifixionem) idcò meritò urgemus, ut illam significatione fractionis ex ipsa Institutionis sede demonstrant. 2. figuræ pertinent ad U. T. quod fuit tempus umbrarum, hodie in N. T. non amplius habemus panes propositionis typicos. 3. figuræ non responderet veritas, nec typus antitypo, quia Johannes c. 19. v. 31. testatur, & typus paschalis agni idem probat, Christi corpus non esse fractum: quomodo ergò fractio illa panis poterit significare fractionem corporis? 4. at inquirunt: corpus Christi dicitur pro nobis fractum, id non factum in ipso corpore. Ergò necessariò per metonymiam sacramentalem referendum est ad fractionem panis. *R.* tutius est ex scriptura petere scripturæ explicationem, quàm rationis signimenta sequi. Collatio Evangelistarum & Apostoli Pauli ostendit, idem hoc esse, si dicat Paulus, corpus Christi pro nobis fractum, ac si dicant Evangelistæ, id in mortem pro nobis traditum: sicut & Esa. 53. dicitur Christus attritus propter peccata nostra. Non ergò metonymica, sed metaphorica est enunciatio, quando corpus Redemptoris nostri pro nobis fractum dicitur, ut rectè disputat Goclen. in disp. Magistrandorum parte 26. th. 4. 5. Quod si Christus per panem Eucharisticum & ejus fractionem suum corpus ac corporis sui passionem adumbrare voluisset, non sustulisset agnum paschalem, qui incomparabiliter evidentius Christi passionem representabat. 6. Si hoc sine instituta esset cœna, requireretur etiam ut in parte altera actionis sacramentalis etiam vinum effunderetur ad significandam effusionem sanguinis Christi. 7. alii dicunt, fractionem panis significare animæ & corporis separationem cum dolore conjunctam: sed neq; hæc est propriè dicta fractio: quis n. unquam hominem dixerit frangi, quando moritur? adde, quòd hac ratione pars una fracti panis animam Christi, altera corpus denotaret, ut signum signato responderet, & sic in duas solum partes panis frangendus fuerit. 8. alii dicunt, significari vulnerationem & perforationem clavorum in corpore Christi, at neque hæc est propriè fractio: urgemus ergò firmiter, quòd Johannes planè semover fractionem à Christi corpore. 9. quòd quidam ex Joh. 2. cap. fractionem in corpore Christi factam probare voluit, ex ipso verborum tenore refellitur: in græco est, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, Solvite templum hoc, non frangite.

5. Arg. III. 1. Cor. 10. v. 16. Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Domini. Ergò solus fractus panis habet promissionem, quòd sit communicatio corporis Domini. *R.* 1. de tali fractione loquitur Apostolus, per quam fit communicatio corporis Domini: per com-

minutionem in partes non fit communicatio corporis Domini. E. com-
minutio in partes non est illa fractio, de qua Apostolus loquitur. 2. con-
cedimus ergo, panem sine fractione, id est, sine distributione non esse
χωρῶν ἰσῶν corporis Christi, sed tantum in usu, frangere enim Hebræis

שֶׁבֶד sumi pro distributione patet ex multis locis Gen. 42. Ef.
58. & c. 3. si vel maximè obtineretur Paulum loqui de ritu fractionis in plu-
res particulas, maneret tamen firmum, fixum, notari hîc ritum in Eccle-
sia usitatum, non a. eum statui partem cœnæ essentialem, aut finem fra-
ctionis hîc constitui significationem aliquam.

6. Arg. IV. Nihil frangatur panis non possumus de uno pane parti-
cipare, quod jubet Apostolus. 1. Cor. 10. v. 17. 1. panis ille unus dicitur
non ratione massæ, sed ratione usus sacramentalis. 2. Paulus Philippis
ad Corinthios scribens testatur eum panem, quo utebantur Philippenses
in S. cœnæ mysterio, & eum, quem habebant Corinthij, esse unum, ubi
non potest habere locum figmentum de unitate massæ 3. Unum est
omnium Christianorum baptisma, & tamen non necessariò requiritur,
ut sit unius ejusdemq; fluminis aqua. 4. in quibusdam locis utuntur pa-
nibus, qui in quatuor fragmenta comminuuntur. Ergone saltem quatu-
or sunt illud unum corpus mysticum? Et de his hætenus.

*Conserva nos DEUS in veritate tua, sermo
tuus veritas est.*





72. v. d. amore tuo geror, ut qd parte r. m.
Solum salubrit J


¶ In timore tui sit tunc ad p. l. carum
mens: p. p. afi: sic regto:

¶ p. p. regto: p. p. afi: sic regto: p. p. afi: sic regto:

¶ p. p. regto: p. p. afi: sic regto: p. p. afi: sic regto:







DISPUTATIO THEOLOGICA
PRÆCIPUAS
DE SACRA COENA
CONTROVERSIAS, QUÆ
hodie in Ecclesia de eâ agitantur, com-
plectens,
Quam
Divinâ Spiritus Sancti gratiâ
adjuvante,
Reverendo & Ampliſſ. Collegio Theologico
in Illuſtri SALANA decernente,
Sub Preſidio
Viri Reverendi & Clariffimi
DN. JOHANNIS DEBELII
SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Publici,
Præceptoris ſui ſummâ animi obſervantiâ
honorandi
Pro conſequenti ſummo in Theologia GRADU
Publicè 15. Auguſti, in Auditorio majori horis anteme-
rid. & pomerid. diſcutiendam proponit
M. JOHANNES GERHARDI QUEDL.
deſignatus Superintendens Heldburgenſis.
JENÆ, TYPIS LIPPOLDIANIS, 1606.